
TRACTATVS
DE
SEPVLTVRIS, CAPELLIS,
Statuis, Epitaphijs, & Defunctorum Munimentis.

AVTHORE
FLORIANO DVLPHO I.C.
Bonon. Collegiato, publicoq; in Patrio Archigymnasio Iuris Interprete.



BONONIÆ MDCXXXXI.

Typis Io. Baptistæ Ferronij. Superiorum permissu.



ILLVSTRISSIMO

SENATVI BONONIENSI

Florianus Dulphus.



Nnumeræ ſolent eſſe viæ, Illuſtriſſimi Patres, quibus homines nō ſolum de alijs benemereri, verum etiam ſuum nomen poſteritati commendare poſſint; inter cæteras autem præſtantiſſima, atque adeò accommodatiſſima ſemper fuit habita librorum editio, vt qui Magiſtrorum vice fungentes ingenium nutriāt, animos ad præclara omnia exſtimulent, artes, ac ſcientias tradant, ac tandem mores ſuaui, & admirabili quadam ratione componant. Quare mirum non erit,

ſi ipſe alias iuuandi cupiditate flagrans, licet ſemper fuerim in domeſticis, & alienis negotijs, & liberis educandis occupatus, eximium quoque ad aliquid ſcribendum, vel ſenex, & ſexagenario maior, induxerim. Vnde licet nulla mihi laus futura ſit, illud tamen ſperare licebit, vt, quum pro virili aliquid in medium afferre ſtuduerim, vitam minimè otioſam me traduxiſſe minores intelligant. Quumq; multa eſſent, quæ me ad ſcribendum vocarent argumenta, illud tamen eligendum cenſui, quod ætati meæ, & aliorum vtilitati maximè conueniret, quodq; ab alijs non ſine mœrore contemni animaduerterem. Quid autem homini ſeni conuenientius, quam ea meditari, ac ſcribere, quibus honeſtè, & piè extremum vitæ actum abundat? Quid decētius, quam ea prodere memoriæ, quæ ſemper meminiſſe non modo ipſum iuuat, verum docet, quo pacto futuræ proſperitatis aditum ingrediatur? Quid cæteris cuiuſcunq; ſint ordinis, vtilius, quam ea legere, & euoluere ſcripta, quæ veram philoſophiam continent? At hæc omnia, ſi quid Platoni credimus, non niſi per ea, quæ noſtræ

vitæ

vitæ terminum nos admonent, homines consequuntur. Quare de Sepulturis, Capellis, Statuis, Epitaphijs, & Defunctorum Munimentis Librum in lucem edere constitui, nō alijs profectò, quam vestro nomini dicatum: Vobis enim Illustriss. Patres iam diù à me debebatur aliquod grati animi testimonium, cum propter vetera beneficia, quæ per longam temporum seriem in meos domesticos omnes extare videatur, tum propter recentia, quibus me, meosq; liberos decorare voluistis. Quæ quamuis ea sint, vt nunquam Vobis par gratia referri queat, pignus tamen hoc memoris animi, qualecunque fuerit, hilari, ac benigno vultu à Vobis accipiendum fore confido. Valete.


Annō

Anno M.DC.XXXXI.
Hodie viuentibus, feliciterque Regentibus Illuſtriſs. DD. Bononiæ Senatoribus.

D. Ioanni Luparo Iuſtitiæ Vexillifero primo Bimeſtri
D. Marchioni Ludouico Fachineto Oratori ad Summ. Pont.
D. Vincentio Bargelino
D. Comiti Philippo Calderino
D. Ferranti Caſalio
D. Comiti Herculi Bonfiolo
D. Marchioni Ferdinando Riario
D. Hieronymo Guaſtauillano
D. Io. Baptiſtæ Samperio
D. Bartholomæo Lambertino
D. Comiti Alamano Inſulano
D. Comiti Alberto Graſſio
D. Alexio Vrſio
D. Fuluio Antonio Mareſcalco
D. Comiti Auguſtino Herculano
D. Andreæ Ghiſilardo
D. Marchioni Petro Blanchino
D. Fabio Gozadino
D. Comiti Philippo Aldrouando
D. Andreæ Angelello
D. Principi Nicolao Ludouiſio
D. Marchioni Hieronymo Albergato
D. Franciſco Mariæ Guidotto
D. Achilli Voltæ
D. Octauiano Zambeccario
D. Marchioni Virgilio Maluitio
D. Camillo Paleotto

D Fran-

D Francisco Bolognetto
D.Augustino Marsilio
D.Cornelio Maluasiæ
D.Marchioni Io. Nicolao Tanario
D.Cyrro Marescotto
D.Marchioni Hieronymo Pepulo
D.Ioanni Ludouico Bouio
D.Carolo Aloysio Scappio
D.Cæsari Blanchetto
D.Ioanni Hieronymo Grato
D.Comiti Marco Antonio Ranutio
D.Comiti Francisco Carolo Caprariæ
D.Comiti Marco Sitico Fibbiæ
D.Berlingerio Gypsio
D.Comiti Antonio Lignano
D.Duci Soræ Vgoni Boncompagno
D.Marchioni Annibali Campeggio
D.Paulo Emilio Elephantutio
D.Philippo Carolo Ghisilerio
D.Comiti Fuluio Bentiuolo
D.Marchioni Gregorio Spadæ
D.Marchioni Paulo Scipioni Magnano
D.Thomæ Cospio



Tra-

TRactatus de Sepulturis, Capellis &c. Excellentiss. D. Floriani Dulphi, vtriusq; Iuris Doctoris Celeberrimi, & in Patrio Archigymnasio Lectoris eruditiss. fuit à me attentè perlectus; & non solum nihil quod fidei, bonisq; moribus aduersetur reperij; Verum quia diligenti breuitate, ac charitate, quæ in eo continētur, tractat, & expedit, omnibus fore iucundum existimo, & ideo dignum, quod typis mandetur. Datum Bononiæ in Ædibus nostris D. Andreæ Pœnitentiariorum 1. Decembris 1640.

D. Polycarpus Paganellus Pœnit. D. Petri.

ACcuratè perlegi Opusculum de Sepulturis, & Capellis Excellentiss. D. Floriani de Dulphis in vtroque iure erudítissimi, & in Almo Bononiensi Gymnasio Legum interpretis, atq; hæc fidei Catholicæ, ac bonis moribus cōsona reperi, atq; omnibus perutile censeo; typisq; mandari existimo. Datum Bononiæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ Gratiarum die 5. mensis Decembris 1640.

Imprimatur. Fr. Dominicus de Manfredis Doctor Collegiatus, sanctiss. Inquisitionis Consultor, pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

TRA-

TRACTATVS VALDE VTILIS

De Sepulturis, Capellis, Statuis, Epitaphijs, & Defunctorum Monimentis.

SVMMARIVM.

Sepultura quid sit, nu. 1.
Catholicus, in quo loco sepeliri debeat, nu. 2.
Sepultura quoad se non est sacra, nu. 3.
Antiquitus defuncti sepeliebantur in proprijs domibus, nu. 4.
Sepultura multas habet acceptiones, nu. 5.
Quis non potest sepeliri sub Altari, seu sub Predellis, nu. 6.

CAPVT PRIMVM.



Vm viderim diebus meis multas ortas esse difficultates circa Sepulturas, & Capellas, & Defunctorum memorias, cogitaui iu lucem edere Opusculum de Sepulturis, Capellis, Statuis, & Defunctorum

Monimentis, & primò loqui de Sepulturis, nam pietatis affectus, & misericordiæ ratio homines inducunt ad sepelienda Mortuorũ Cadauera,& soluendas eisdem inferias, nulla enim gens adeò barbara est, quę cadauera sepeliri non approbet, cum sepultura Iuris sit naturæ, *Chrys. de moribus, l. scriptus hæres § tunc locus, ff. de relig. & sumpt. funer. Lauor. de funerandi more tit. 2. c. 5. num. primo.*

1 Primò enim quæro, quid sit Sepultura; respondetur: Sepulturam esse locum concauum, *cap. abolendæ, extra de sepulturis*, ibi, *non prius permittatur effodi sepultura, Ioan. Andreæ, & alij in Rubr. de Sepulturis.* in Ecclesiastico

2 cæmiterio, vbi corpus Catholici conquiescit, *cap. aurum 12. q. 2. Camil. Borel. in cons. seu controu. 25. nu. 49.* ex pluribus; Primò, quia ex consecratione loci non possunt ita corpora vexari à spiritibus immũdis, quemadmodum in alijs locis, *c. cum grauia 13. q. 2.* ibi, *hoc prodest mortuis, si in Ecclesia, vel cæmiterio sepeliantur, Natta cons. 432. num. 1. lib. 2.* Secundò, quia commendantur patrocinijs Sanctorum illorum, iu quorum nomine dedicata est Ecclesia, vt ibi probat *glos.* Tertiò, cæteris paribus ex diuina ordinatione triumphans Ec-

cle-

clesia specialiter orat pro illis, qui in loco sacro sepulti sunt. Quartò, & illi, qui in loco deseruiunt cæteris paribus, tenentur frequentius, & specialius pro illis orare; Ita *Ioannes de Turrecremata, & alij in d.cap.cum grauia, Abb. & cæteri in Rubr. extra de sepulturis, Medices in tract. de sepulturis, q. 1. nu. 6.* ex hoc
3 enim respectu Sepultura non est sacra quoad se, sed respectu loci, & simul respectu Officij, quod celebrat Sacerdos, vt *Tusc. in verb. Sepultura, conclus. 192. num. 7.* Solebant e-
4 nim antiquitus corpora maiorum nostrorum sepeliri in proprijs domibus, & propter cadauerum fætorem fuit statutum, quod extra Ciuitatem sepelirentur, *vt probat tex. in l. 3. §. Diuus Adrianus, ff. de sepulchro violato, & in l. mortuorum, ff. de relig. & sumpt. funerum, Capol. de seruit. vrban. prædior. titulo de sepulchro, nu. 7.* dicens expressè fuisse prouisum, vt sepelirentur in sepulturis in Ciuitatibus in locis consecratis, secundũ conditionem personarũ, *Mantua in Gymnasio Scholastico, in ver. se-*
5 *pulchrum*, vbi plura ponuntur de hoc. Sepultura enim multas habet acceptiones, quandoque dicitur Officium, quod impenditur sepeliendis, quandoq; dicitur ipsa terra, in quo quis sepultus est, quãdoq; tumba marmorea,

vel lapidea, ita aduertit *Goffred. in eius summa in tit. de sepulturis, nu. 3. Angel. Siluester, & alij Summistæ in verbo Sepultura primò*, quandoq; dicitur terra pura, quæ est deputãda ad vsum Sepulturæ, *Pisanell. in dicto ver. Sepultura primò, in prima col.* aliquãdo sepultura dicitur tumba marmorea, vel lapidea, vt doctissimè docet post plures idem *Ioannes Cardin. de Turrecremata in cap. dictum est, 1. q. 1. nu. 2. &* *3.* & nouissimè aduertit *Aug. Barbosa in tract. de off. & potest. Parochi, in tit. de sepultur. & funerib. ducendis, cap. 26. n. 2.* & esse nomen æquiuocum dixit *Florianus de Sancto Petro in Rubr.*
6 *ff. de religiosis domib. & sumpt. funer.* nõ tamen quis poterit sepeliri propè Altare, seu sub pradellis, vt censuit sacra Cõgregatio causis Episcoporum, & Regularium, præposita in vna Termulan. 8. Februarij 1594. & in alia Interamnensi 13. Septembris 1593. & in Messanensi 2. Maij 1601. & si sepulturæ ibi reperiantur constructæ, non debet illi Altari celebrari, donec corpora alibi transferantur, vt declarauit ead. sacra Cõgregatio in vna Tranensi 10. Nouembris 1599. & refert *Barbos. in tract. de officio, & potestate Parochi, cap. 26. num. 10.*

SVM-

SVMMARIVM.

QVotuplex sit sepultura. num. 1.
Quis potest sibi eligere sepulturam secundũ placitum suum. num. 2.
Differentia inter sepulturam familiarem, & hæreditariam. num. 3.
Inscriptiones sepulchrorum probant. num. 4.
Fideicommissarius non habet Ius sepulchri. ibi.
Dauid ossa Inimicorum sepeliri curauit. num. 5.
Iehu Rex Israel sepeliri iussit fornicariam Iezabel, sed fuit repertum, quod Canes eam continuò comederant. num. 6.
Multa Romanorum, & aliorũ exempla in sepeliendis inimicis leguntur. num. 7.
Sepelire mortuũ licet non sit quid spirituale, tamen est ad spirituale ordinatum. num. 8.
Diuinorum Officiorum appellatione non continetur sepultura. num 9.
Reipublicæ expedit non minus mortuos humari, quam viuentes conseruari. num. 10.
Marcellinus Papa post coactam à Paganis Diabolo immolationem, in pœnitentiam sui peccati iussit cadauer suum non sepeliri. num. 11.
B. Petrus Apostolus in somnis iussit Marcello Papæ, vt Marcellini corpus sepeliret. num. 12.
Simonides fuit liberatus à naufragio, eo quod se-

peliri

peliri fecerat cadauer mortuum. num. 13.
Impediens sepulturam, dicitur infamis. num. 14.

CAP. II.



Ideamus modo quotuplex sit Sepultura. Resp. Esse in duplici
1 differentia; nam alia est cõmunis, alia propria; communis alia competit omnibus eam eligentibus, seu omnibus in Parochia decedentibus absq; electione facta, *Siluest. in verbo sepultura, num. 3. Medices in tract. de sepulturis, par. 1. q. 7. nu. 32.* ex duabus rationibus; primò, quia Viui decimas Ecclesię persoluerunt; secundò, quia quis postquam transiuit de prouincia in prouinciã, liber factus est à iurisdictione prioris Iudicis, & subijcitur illi, in cuius prouincia sedem collocauit. Ideo illi subijciuntur iurisdictioni Ecclesiæ secundæ, & apud eam debent sepeliri, *glos. in cap. vbicunq; , il primo, 13. q. 2. in vers. Quia ergo.* Alia autem competit alicui Vniuersitati, prout sunt sepulturæ alicuius Societatis, in quibus aliquo speciali priuilegio sepeliuntur omnes de dicta Societate, vt illi de Societ. Notariorum, & illi de
2 Societate Macellariorum in multum Insigni

Col-

Colleg. S. Petronij de Bonon. nisi tamen aliter elegerint, propria autem alia est familiaris, alia verò hæreditaria; familiaris autem dicitur, quam quis sibi, familiæq; suæ constituit; hæreditaria autem, quam quis, hæredibusq; suis constituit, declarant *Odofred. Florian. de S. Petro, & alij in l. familiaria, ff. de religios. & sumpt. funerum, Medices eadem par. prima, quæst. 4 num primo, & seq.* potest etiam
3 dici particularis sepultura, quam quis sibi tãtum specialiter elegit; & inter hæreditariam, & familiarem ea differentia est, quia in familiari sepulchro præter eiusdem familiæ, & agnationis, mortuos non sepeliuntur extranei, si verò hæredes sint, sepeliri poterunt, nec per diuisionem bonorum ad vnum tantum potest deuenire, *Castr. in l. si sepulchrum, C. de relig. & sumpt. fun. nu. 1.* In hæreditaria verò, quã quis sibi, & hæredibus suis fecisset nulla gentiliũ, aut agnatorum, habita prærogatiua illi tantum, qui hæredes essent humari debent, exceptis tamen liberis, & descendentibus, quibus etiam si exhæredentur ius sepeliendi, debetur; An autem sit familiare, vel hæreditarium legitur ex inscriptionibus, seu insignijs in sepulchris, *c. cum causam, ext. de probat.* licet de hoc dubitauerit, *Bart. in l. vel quod, ff. eod.*

ff.eod. id tamē approbat *Asin. in d.l.familiaria, nu.3. & Mascard. concl. 1294. nu.4. Bertachin. in tract. de Episcopis, §. videmus, nu. 30. ff. de verbor.signif. Gasp. Thes. in quæst. forens. lib. 1. quæst. 11. nu. 2. & nu. 5.* qui affirmat fideicommissarium non habere ius sepulchri. Pie-
4 tatis ergo affectus, & misericordiæ ratio homines inducunt ad sepelienda mortuorum cadauera, quæ pietatis officia, non sanguine, aut amicitia, solū vinctos trahunt, sed etiam prorsus extraneos, ad quam rem illustrādam concinunt scripturæ sacræ exempla, nam &
5 Dauid Sauli, ac Ionathæ sui filij inimicorum ossa à viris habitatoribus labes Galaad, quæ fuerant sublata, abscondita de platea Bethsan, in qua Philistijm eos suspenderant, postquam eos interfecerunt, recuperari, ac sepeliri curauit, *vt lib. 1. Regum, cap. 31. & lib. 2.*
6 *Reg. cap. 21.* sic & Iehu Rex Israel eum præcipitari fecisset insolentissimam fornicariam, & veneficam Iezabel per tres Eunuchos, inquit, Ite, & sepelite maledictam illam, quam tamen non inuenerunt, cum Canes continuo eam comedissent, & solum remansissent Caluaria pedes, & manus, *lib. Regum 4. cap 9.* multa etiam possem sacræ Scripturæ adducere testimonia, Ethnicorum etiam exemplis

cor-

7 corroborabo, nam & Adrastus Argiuorum Rex à Thebanis bello superatus, auxilia praestantibus Theseo, & Atheniensibus inuitis Thebanis in agro Eleusino suos cumulauit, vt est auctor Isocrates in encomio, Elenes, & Aristides in Panathenaico, & Pausanias in Atticis: Hinc Thiberium Graccum, & M. Marcellum Duces Romanorum humi deiectos sepulturæ Annibal tradidit. Quod admiratus Valerius lib 5. cap. 1. inquit: ergo humanitatis dulcedo in efferrata barbarorum ingenia penetrat, Philosophū sic laudat Capitolinus: Tantaq; (inquit) clementia fuit, vt sumptu publico vulgaria funera iuberet efferri; Pulchrum illud est Cimonis Atheniensis facinus, qui cum haberet Milciadem patrē ob peculatus crimen damnatum, & in carcere defunctum; Itaut non soluta pecunia, non liceret cadauer efferre, ipseq́; soluenda non esset transtulit in se vincula, & carceres, eoq; modo ad sepulturam patrem redemit, inexpiabilis ètiā Religionis esse putauit Solon defunctorū vmos violare. Hinc legem statuit ne quis in defunctos maledicere auderet, vt Plutarchus est auctor; Qui autem fati munus obierint, beatos fore idem Solon prodidit apud Aristotelem

lib. 1. Moralium Nichomachiorum, & licet sepelire mortuũ, & fodere fossam, nõ sit quid
8 spirituale, tamẽ est ad spirituale ordinatum, *Euerard. cons. 30 nu. 7.* & sub nomine diuino-
9 rum Offitiorum non venire Ecclesiasticam sepulturam, *dixit Feder. de Senis cons. 159. nu.*
3 expedit enim Reipublicæ non minus mortuos humari, quam viuentes cõseruari, *Bald.*
10 *in l. fin. C. de de neg. gest.* prout nobis exemplo tradiderunt Cyrus Alexãder, & Cæsar Gloriosi Imperatores, qui se suis mandarunt in testamẽtis nuda terra humari, *vt refert Leonard. Aret. Epist. 94.* nec cadauer debet remanere insepultum, in memoriam humanæ conditionis, *l. quidam in suo, ff. de condit. indeb.* nec valeret dispositio in contrarium, *glos in cap. nunc autem 21. distinct.* nam Marcellinus Vrbis Episcopus, qui fuit maximus Martyr, post coactã à Paganis Diabolo immolationẽ, in pœnitentiam sui peccati iusserat eius cor-
11 pus non sepeliri, quæ sententia erronea, & nulla fuit declarata, ex quo tale præceptum non est adimplendum, *l. quidam, ff. de condit.*
12 *instit.* & ideo iussu S. Petri, qui in somnis Marcello Papæ apparuit fuisse sepultum, & narrat Valerius lib. 1. de somnijs Simonidem, qui cũ naue ad litus ascendisset, & cõpescuisset

ſet in arena,cadauer incontinēti ſepeliri iuſ-
13 ſiſſe, ex cuius caritatis retributione à ſpiritu defuncti fuiſſe monitus, ne die ſequēti nauigaret, & ipſo in terra manente, eius ſocios procellis perijſſe maritimis, dictisq; Simonidem fuiſſe liberatum; nam ad conuiuium inuitatus, & ad ianuam exiſtens, & neminem reperiens Triclinium, in quo Dominus domus epulabatur, collapſum fuit, & ipſum, & omnes conuiuas oppreſſit, vt Valerius affirmat eodem libro, cap. 8. tit. de miraculis, *& refert Benedictus Gulielmi in cap. Raynutius in verbo mortuo itaque teſtatore nu. 61. & numeris ſequentibus, extra de teſtament.* & plura
14 exempla narrat,demōſtrans impedientes ſepulturam eſſe infames, non immerito igitur Eccleſia defunctos ſepeliri inter opera Miſericordiæ præcepta connumerauit.

S V M M A R I V M.

DIfferunt inter ſe ſepultura ſepulchrum, monumentum, cæmiterium, ſarcophagus, cenotaphium, & depoſitum. nu. 1.

Sepultura quid ſit. nu. 2.

Si corpus erit in diuerſis locis ſepultum, religioſus erit tantum locus, vbi erit caput. nu. 3.

Quod tamen non procedit de iure Canonico. nu. 4.

Monumentum quid sit. nu. 5.

In creatione Imperatoris sibi præsentabantur lapides marmorei, ut eligeret, de quo sibi fieret sepulchrum. nu. 6.

Si in monumento inferatur homo mortuus, non est amplius monumentum, sed sepulchrũ. nu. 7.

Cæmiterium quid sit. nu. 8.

Vnde dicatur. nu. 9.

Non solum Cæmiterium, sed & Hortus, & mansus, iuxta Ecclesiam est exemptus. nu. 10.

Confugientes ad Cæmiterium, gaudent immunitate, ac si confugerent ad Ecclesiam. nu. 11.

Cæmiterium cuiuscunq; latitudinis sit, & longitudinis, consequitur priuil. immunit. nu. 12.

Cæmiterium si sit contiguum Ecclesiæ, est capax pollutionis. nu. 13.

Sed polluto Cæmiterio, non polluta remanet Ecclesia. ibi.

Si pollutio fiat in medio hostij, quod ingreditur ad duo Cæmiteria, illud erit pollutum, cuius causa paries, & hostium facta sunt. nu. 14.

Quibus modis pollutio fiat. nu. 15.

Si excommunicatus sit sepultus in Cæmiterio, extumulari debet, nisi ossa aliorum defunctorum sic permixta sint, ne possint cognosci. nu. 16.

Sarcophagus quid sit. nu. 17.

CAP. III.



Ifferunt .n. inter se sepultura, sepulchrum, monumentũ, cœmiteriũ, sarchophagus, cænotaphium, & depositum.
1 Sepultura .n. est locus concauus in
2 Ecclesiastico cœmiterio factus, vt diximus supra, *cap. 1. & affirmat Angel. Caluasius in summa, in verbo sepultura, in principio.* Sepulchrũ autem est, vbi corpus, ossaue hominis condi-

ta sunt, *l.2.* §. *sepulcrum, ff. de relig. & sumpt. fun. & ibi ex Cicer. lib. 2. de legib. dixerunt Asin. & cæteri, Medices de sepulturis quæst. 3. nu. 3.* & habetur tanquam hospitium, *cap. Ebron, 13. q. 2.* quod debet esse perpetuum vsque ad diem Iudicij, vt affirmat *Reuerendiss. Odofredus Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Archiepiscopi Bon. Vic. in suo responso de sedilibus in Ecclesia retentis, nu. 48.* & licet ius sepulchrorum sit gratiosum, quando tñ semel fuit concessum, est transitoriũ ad hæredes, nec per Rectoré Ecclesiæ, seu Episcopum potest reuocari, *vt post omnes Canonistas in cap. penult. ext. de sepult. dixit Giouag. cons. 8. nu. 21. lib. 2.* non ergo totus locus sepulturæ destinatus efficitur religiosus, sed quatenus corpus humatũ
3 est. Sed si corpus in diuersis locis sit sepultum, multiplicationé non recipit, quia vnus homo sepultus, sepulcra plura facere non potest, hoc est plures locos religiosos, sed religiosus erit locus, vbi caput reperitur, cũ sit principale, ex quo homo cognoscitur, *Mathesil. singul. 75. nu. 2.* dicens, quod si caput sit diuisum in plures partes, & positum in diuersis locis, ille locus dicitur religiosus, in quo est melior pars capitis, & si partes sunt ęquales, neuter est religiosus, *Marcus Mantua in*

sin-

4 *singul. 409. nu. 1. Rimin. Iun. cons. 780. nu. 81. lib 7.* id tamen non procedit de iure Canonico, quod in hoc præualet, *vt per tex. in cap. ad hæc, extra de relig. domib. & in cap. in Ecclesiastico 13. quæst. 2. & tenuit Math. Mathesilanus dicto singul. 75.* & ex hac ratione dixit differre sepulchrũ à sepultura, eo etiam, quia extra cæmiterium sepulchrum potest haberi, *Host. in eius summa in tit. de sepulturis, in §. quid sit sepultura, nu. 1.* dicitur .n. sepulcrũ, quasi sine pulsu, quia ibi sepeliuntur, qui pulsu carent, *Florian. de S. Petro in l. vel quod pater*
5 *famil. §. si adhuc, nu. 1. ff. de relig. & sumpt. fun.*

Monumentum autem est, quod memoriæ seruandæ gratia existit, & dicitur, quod monimenti, idest cum causa muniendi eius loci factum est, in quo corpus impositum est, *secundum Rebuff. in l. cum in testamẽto, ff. de verbor. signif.* Solebant .n. maiores nostri, & hodie etiam apparet defunctorũ cadauera pro viribus pulcherrimis ædificijs memoriæ, & dignitatis causa exornare, & Romæ plura videri possunt, quæ memorat *Asin. in d. l. 2. in § monumẽtum*, & monumentũ memoriæ causa factũ, & non ex quo ibi cadauera sint condita, sed vt moneat mentẽ, dixit *Diuus Augustinus de Ciuitate Dei lib. 1.* & in libro *de*

cura

6 *cura pro mortuis agenda. Ioan. de Turrecremat. nu. 4. & alij in cap. cum grauia 13. quæst. 2. Medices d. q. 3. nu. 4* & quando antiquitus Imperator erat electus, statim præsentabantur sibi lapides marmorei, vt eligeret, de quo sibi fieret sepulchrum suum, & statim fiebat in memoriam mortis, & dicebatur monumentum, *Alberic. in l. quidā, ff. de condit. instit. Boer. decis. 287. nu. 4.* & si in monumento inferatur
7 homo mortuus, non amplius est monumentum, sed tūc vocatur sepulchrum, & sic tamdiu remanet monumentum, quamdiù nullus est ibidem conditus habetur, *ex Ioan. cap. 19.* ibi, *Erat in Horto Monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat*, & ex *Matthæo cap. 26.* ibi, *Et posuit illud in Monumento nouo. Io. Sicardus in Rub. C. de religios. & sumpt. funerum num. 5.* dicens differre sepulchrum à monumento, tanquam species à genere.

8 Cæmiterium autem dicitur locus, qui deputatur sepulturis, *Card. in Clement. 1. de sepulturis*, & dicitur deputatū per benedictionem Episcopi, non ante, cuius appellatione non continetur Ecclesia, *Medices d. quæst. 3. nu. 5.* vel melius, *secundum Dominicum de sancto Hieminiano in cap. vnico, de consecr. Eccl. vel*
9 *Altaris, nu. 5.* dicitur à Cimis, quod Grçcè inter-

terpretatur dulcis ſtatio animarum, vel potius corporum; quoniã ibi cinis mortuorum territur, vel à *Cimone*, quod eſt dormio, quia mortui ibi dormiunt, vel potius à *Cemen* Grecè, quod eſt aurum Latinè eſt terra, quod eſt terra, quaſi aurea, quia eſt cæteris prætioſior, *gloſ. in cap. ſacris, in verbo in cæmiterio, extra de ſepulturis*, & habet eamdem immunitem, quam habet Eccleſia, *cap. ſi quis contumax, & cap. quiſquis inuentus, & ibi gloſ. 17. q. 4. cap. conſuluiſti, extra de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris*, & probat *titulus extra de Immunit. Eccleſiarũ cæmiterij, & rerum ad eas pertinentium, & ibi DD. Lap. allegat. 12. nu. 4. verſ. Idem,*
10 *de cæmiterio. Alex. conſ. 145. in fine, lib. 7. qui dixit exemptum nedum cæmiteriũ, ſed & hortum, arcam, & totum manſum, iuxta Eccleſiam Piſanella in ſumma in verbo Cæmiterium, in princ. & in verbo emunitas Eccleſiæ, in verſ. Vtrum cæmiteria, Fumus in ſumma Armilla, in verbo cimite-*
11 *rium, in princ.* In tantum, vt confugientes ad cæmiterium gaudeant immunitate, ac ſi eſſet Eccleſia, *Alex. d. conſ. 145. lib. 7. nu. 13.* Et idcircò licet Eccleſia, *ex cap. ſicut antiquitus, 17. q. 4.* det immunitatem Eccleſiæ Matrici per circuitũ 40. paſſus, & alijs Eccleſijs paſſus 30. qui paſſus eſt quinque pedum, & pes

 eſt

12 est quindecim digitorũ, seu sexdecim, *vt ibi refert Turrecrem.* nihilominus nõ tollitur quin si cæmiteriũ excedat, idem priuilegium consequi non debeat, *vt Alex. ibi nu. seq. demon-*
13 *strat.* Et si cæmiterium sit Ecclesiæ contiguum ea polluta, & id polluitur, secus si cæmiterium esset remotum, *vt in d. Armill. nu. 2.* non autem è conuerso, polluto cæmiterio, polluitur Ecclesia, *d. cap. vnico, & ibi DD. de consecrat. Eccles. vel Altaris, lib. 6.* ne minus dignum videatur ad se trahere magis dignum, vt notant *Doctores, & Sũmistæ* in locis prędictis, & antequam sit recõciliatum per aspersionem aquæ benedictæ, quis non debet ibi sepeliri, *glos. in cap. consuluisti, extra de consecr. Eccles. vel Altaris, Pisanella loco, quo supra, Siluester in verbo cæmiterium, nu. 2.* si autem pa-
14 ries mediat inter duo cæmiteria contigua, & porta est in pariete, per quam est accessus ad vtrunque, vt Bonon. apud Ecclesiam sancti Ioã. Baptistæ de Mercato non est vnum, sed duo cæmiteria, & altero polluto, alterum non polluitur, *probat textus in d. cap. vnico,* & si pollutio fiat in medio hostij illud erit pollutum, cuius causa paries, & hostium facta sunt, *vt per Io. Andr. in d. cap. vnico,* & si ignoretur vtrunq; erit pollutũ, *vt probat tex. Sil-*

ue-

ueßer in summa, in verbo Cæmiterium, num. 3.
15 dicẽs, pollutionem fieri quattuor modis, scilicet polluta Ecclesia, vt sup. Secundo effuso semine, non tamen vxorio, *glos. in cap. Ecclesijs, dist. 1. de conseerat. in verbo Semine*; Tertiò, effuso sanguine; Quartò, sepulto prophano, *Armilla nu. 4. & Pisanella in fine, in verbo Cæmiteriũ*, & licet Ecclesia non sit parochialis potest habere Cæmiteriũ, ex consuetudine, vel ex auctoritate Episcopali, *Archid. de sepult. c. 1. lib. 6. Federic. de Senis cons. 135. in fine*; & si
16 excõmunicatus sepultus fuerit in cęmiterio, extumulari poterit, nisi ossa ipsius cũ ossibus non excommunicatorum, ita permixta fuerint, vt nequeant separari, *cap. sacris; ext. de sepult. Goffr. eod. tit. in summa, nu. 5. Silueßer in d. §. Cæmiterium, num. 4.*
17 Sarcophagus pro sepulchro poni consueuit, *l. funeris, ff. de relig. & sumpt. fun. l. Libertis, §. cibaria, & ibi glos. ff. de alim. & cibar. leg.* est enim *Sarcophagos*, secundum *Plinium*, lapidis genus fissili vena, qui corpora defunctorum condita in eo absumit intra quadragesimum diem, exceptis dentibus, & dicitur de hoc meminisse D. Augustin. *lib. 18. cap. 5. de Ciuit. Dei*, & dicitur acres, ideſt *Caro*, & *phagos* .i. edere, quia ibi caro à vermibus

consumitur. Ita Albericus *in suo Dictionario in verbo Sarcophagum;* Ideò nomen habet à carne edēda, vnde pro sepulchro poni cōsueuit; & *D. August. de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 5.* inquit: *Quia enim Arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam Sarcophagum vocant à nostris pro sepulchro vsurpatur,* sic refert *Asinius in l. funeris, ff. de relig. nu. 4. & Medices in suo tract. de sepulturis quæst. 3. nu. 6.*

18 Cenotaphium dicitur vacuū sepulchrum, & differt à puro sepulchro, quia purū sepulchrū est, in quo nemo sepultus sit, dixit *Medices in dicta quæst. 3. de sepult. nu. 7.* & idem esse Cenotaphium, prout purum monumētum, *approbat glos. in l. vel quod, in §. si adhuc, in verbo cenotaphium ff de relig. & sump. funer. Boer. decis. 275. nu. 5.*

19 Depositum verò est capsa in alto posita, in qua corpora defunctorum conduntur, sed talia deposita sunt prohibita ex *Bulla Pij V. 1566. Kal. April.* in ordine sexta, ibi: *Et vt in Ecclesijs nihil indecens, relinquatur ijdē, prouideant, vt capsæ omnes, & deposita, seu alia cadauerum cōditoria super terram existentia omninò amoueantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terrā collocentur, & aduertit Angelus Ferrarien-*

sis

ſis in opuſculo de non ſepeliendis mortuis penes Aram Medices in d. ſuo tract. de ſepulturis quæſt. 5. nu. 4. & quæſt. 9. num. 10. Bononiæ tamen hodie videntur depoſita Accurſij Il. gloſatoris, Odofredi de Odofredis, Rolandini Romantij, Rolandini Paſſagerij, Aegidij de Foſcherarijs celeberrimorũ Iuris Conſultorum, & aliorum plurium.

Quandoque ſepulchrum vocatur *Polyandrion*, quandoque *Mauſoleum*, item *Dormitorium*, *Tumulus*, *Ergaſtulum*, *Pyramis*, *Buſtum*, *Vrna*, *Spelunca*, *Arca libitina*, *Sandapila*, *Feretrum*.

Polyãdrion, ſiue Polyandrium, quaſi pol-
20 olutum antrum propter cadauera ibi ſepulta, *Lauor. in tract. de priſco, & recenti funerandi more, tit. 2. cap. 6. num. 4.* & quod interpretatur, vbi multorum hominum ſepultorum cadauera reperiuntur, & ſecundum hoc dicitur Cæmiterium.

Mauſoleum dictum eſt à nomine cuiuſ-
21 dam, cui vxor glorioſum ſepulchrum condidit, quod vocauit Mauſoleum à nomine viri ſui, & inde mors Mauſoica, vt quælibet precioſa ſepultura Mauſoleum appellatur, quod & affirmat idem *Lauor. ibi nu. 12.*

Dor-

22 Dormitorium dicitur à dormiendo, quia ibi corpora Sanctorum quiescunt, & in Domino dormiunt, *Apost. in prima Epistola ad Thessalonicenses cap. 4.* ibi: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus.*

23 Tumulus dictus est, quasi Tumen, Tellus, quia homine sepulto terra aliquantulum subleuatur, & de eo meminit *Iob cap. 10.* ibi: *De vtero translatus ad Tumulum.*

24 Ergastulum, idest statio à stando, quia ibi requiescunt corpora eorum, qui in Domino moriuntur.

25 Pyramis, quasi ignis, quia corpora concremata, & in cinerem redacta, ibi reponebantur, sic vt ergo ignis à loco incipit, sic etiam Pyramis, & est locus altissimæ sepulturæ, qualis est Romæ, in quo fuerunt cineres Iulij Cæsaris collocati; & corrupto vocabulo, hodie appellatur Acus S. Petri, quæ Iulia dicebatur; & de Pyramidibus abundè tractat idem *Iul. Lauor.* loco quo supra *num. 9.*

26 Bustum, in quo busta, seu humana corpora custodiuntur dictum, quasi benè vstum, *glos. in c. conuenior, in verbo Busto 23. quæst. 8. Boer. decis. 281. nu. 4.*

Vr-

27 Vrna dicta fuit, eo quod antiqui moris fuit humana corpora rogo consumere, & cineres in terreis vasis collocare.

28 Spelunca dicitur, quę duo habet receptacula, vnum pro viro, aliud pro vxore, vt legitur *in cap. Ebron 13. q. 2. & id affirmatur per Flor. de S. Petro in l. vel quod, §. si adhuc, eod. tit. ff. de relig. & sumpt. funer. nu. 1. & 2.*

29 Arca idem est, quod monumentum notatur in *l. is, qui intulit, ff. eodem,* sed hodie Bonon. propriè vocatur Archa ea, in qua dietim cadauera sepeliuntur.

30 Libitina est sepulchrum nobile, seu nobilium, & subgradatum est sepulchrum Infantium. Libitina .n. sic dicta à Libitina, in cuius domo solebant curari, & vendi, quæ ad funus, & sepulturam pertinebāt, vt per Plutarchum in num. & problem. vt refert *Lauor. in d. tract. de prisco, & recenti funerandi more tit. 2. cap. 1. nu. 37.* dicens: Libitinam reputatā fuisse Deam Venerem, quę Romæ habuit Templum suum, iuxta quod prædicta vendebantur, vt .s. cum homines libidinibus, & voluptatibus dant operam, meminerint se aliquando morituros esse.

31 Sandapila est sepulchrum Lactētium, qui nedum decem dies impleuerunt, *Boer. dicta decis. 281. num. 6.*

Fe-

32 Feretrum dicitur sepulchrũ Plebeiorum, & damnatorum, *Boer. d. decis. 287. nu. 4. & seq. Medices d. q. 3. nu. 9.*

SVMMARIVM.

ANtiquitus à prima origine cadauera retinebantur in dolijs, aut vasculis. nu. 1.

In Vrbe non sepeliebãtur, nisi ij, qui præclara facta intuebantur. nu. 2. & corpora defunctorũ antiquitus ante Ianuam Ecclesiæ collocabantur, ibi nu. 2.

Cum mortuis in sepulturis ponebãtur multæ opes. num. 3.

Ex sepulchro Dauid fuerunt sublata tria millia talenta. nu. 4.

De iure veteri non sepeliebantur mortui in Ciuitatibus, Castellis, & Vicis. nu. 5.

Mortuus debet sepeliri primo die. nu. 6.

Quod non seruatur in mulieribus. nu. 7.

Quis non potest sibi eligere sepulturam in Ecclesia non consecrata. nu. 8. vide nu. 10.

Licet mulieres non possint prædicare, Confessiones audire, & sacra Vasa tangere, attamen possunt corpora fidelium sepelire. nu. 9.

Quis potest eligere sepulturam extra Parochiam de licentia Curati, vel Episcopi. nu. 11.

Filius

propter concursu fidelium, & preces ad Deum pro eis fundendas. nu. 25.

CAP. IV.

1 

Ntiquitus à prima origine intra suas quemq; ædes defossa cadauera dolijs, aut vasculis retinebant, vnde lares in singulis ædibus, quos domesticos colendi religio persuasit in larario, in quo præter Deorum penatium, etiam insignium virorum, quas venerarentur effictas imagines habebant; quamobrem Seuerus Imperat. Christum Abraam Orphæũ, & Apollonium velut Deos intra ædes veneratus est, quod & hodie seruari apud externas, & barbaras nationes refert ex auctoritate Diui Petri Martyris in Compendio Indiæ Accidentalis, *Io. Bapt. Asinius in l. 2. §. in locum alterius, nu. 1. & pluribus seq. ff. de relig. & sumpt. funer.* dicens, quod Regum, & Dominorum suorum cineres, ossaue in Dolijs fictilibus, ac depictis vasculis thalamis quibusdam ædium remotioribus, habent aliosq; modos eorum cineres retinendi, ibi *Asinius* 2 describit, dicens, quod in Vrbe quis sepeli-

ri non poterat, exceptis ijs, qui præclara facta intuebantur, num. 23. Propterea ferunt Adrianum Imperatorem aureorum quadraginta pœnam ſtatuiſſe in eos, qui in Ciuitate ſepulchrum feciſſent, & ex *Crinito lib. 1. cap. 12. dixit Ioannes Rauiſius Textor in eius officina, in tit. de vario inhumanandi more, in verſ. Antiquitus, fol. 129.* Iuſſit etiam *Plato* in agro infœcundo, & inutili ſepulchra fieri ne viuentibus nocerent, vt refert *Mantua in ſuo Gymnaſio Scholaſtico, in verbo Sepulchrũ,* vbi varios modos ſepeliendi refert alios fuiſſe ſolitos; Et mos antiquitus fuit, vt poſt efflatam animam cadauer cubiculo efferent, & in veſtibulo ędium collocarent ad ianuam ipſam, vt docuit *Iuſtus Lypſius lib. primo electorum cap. 6.* qui de hoc plura adducit. Solebant etiam in loco ſepulchri multas opes
3 cum cadauere ponere, vt oſtendit *Ioſeph cap. 16. de antiquitate Iudaica,* & de ſepulch. Dauid ſic verba fecit: *Sepeliuit enim filius eius Salomon in Hieroſolymis decenter nimis, & alijs rebus, quæ ſolent circa Exequias Regis miniſtrari, & multas diuitias cum eo recondit.* Poſt enim tempus annorum mille, & trecentorum *Hyrcanus Pontifex*, dum Vrbs abſideretur, ab Antiocho Rege, qui Pius cognomi-

minatus fuit, filio Demetrij, volens ei dare pecunias, vt ab obſidione recederet, non
4 habens vnde hoc adimpleret, aperuit vnum locum ſepulchri Dauid, & ſublatis inde tribus millibus talẽtorum, partem dedit Antiochio, & ita anſietatem obſidionis amouit, & poſt hæc multo annorũ tempore rurſus Herodes Rex illum locum aperiens; vnde pecunias intulit; Id .n. affirmat *idem Lauorius de priſco, & recenti funerandi more cap. 1. nu. 85.* Quod etiam ſeruabant Albani, vt ex Strabone lib. 11. dixit idem *Aſinius in d. l. 2. d. §. ſi in locum alterius, & in §. prætor ait, nu. 63. ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* vbi multa refert circa humanitatem, & cõcremationem corporum defunctorum, quæ & melius, & accuratius referuntur ab eodem *Lauorio in dicto ſuo tractatu de priſco, & recenti funerandi more tit. 2. cap. 4. nu. 53. ad finem*, & de iure veteri ſepeliri non poterant mortui in Ciui-
5 tatibus, & Caſtellis, vel Vicis, ne aer corrumperetur, & ad effectum, vt ciues eſſent aptiores in caſu belli ad euaginan. gladia, & expellendos inimicos, ne deuaſtarentur parentum ſepulturæ, & ſecundum Ciceronem, vt Ciuitates ab incendijs ſecurarentur, dum corpora mortuorum cõburebantur, vt affert

Thom.

Thom. de Castilione de funeribus antiq. in tab. 7. fol. 54. & sic sepeliebantur extra Ciuitates, & Vicos, & qui contra faciebat, puniebatur pœna aureorũ quadraginta, *l. tertia, §. Diuus Adrianus, ff. de sepulchro violato, Baptista de S. Blasio in tract. de actione, & eius natura in actione 116.* Hæc .n. abierunt in desuetudinem, & propterea statutum fuit, vt locus separatus, sacerq;, & ad defunctorũ excipienda corpora præparatus in maiori Ecclesia quadraginta passuum, in minori autem Capella triginta à sanctis Patribus constitutus fuit, *cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4.* & cæmi-
6 terium appellarunt, & debere mortuum ex multis rationibus sepeliri primo die, dixit *Oldrad. cons. 4. de sepulturis.* Id tamen non
7 seruatur in mulieribus, quæ moriuntur in puerperio, nam retinentur per 40. horas, quia multæ ex aliquo accidenti fuerunt pro mortuis habitæ, & veræ non erant, sed alias fuisse defunctos 7. diebus, & decemseptem pueros Græcos pro parando funere retẽtos, *Lauor. ibi cap. 1. nu. 214.*

Sed & si maiores nostri decreuerint in Ecclesijs, vbi celebrãtur diuina Officia, humana adesse cadauera, turpe esse dixit, *ex cap. nullus 13. quæst. 2. Ioan. Baptista Asin. in l. 2.*

§. in

§ *in locum alterius nu. 72. ff. de relig. & sumpt. funer.* nihilominous quis non potest eligere sibi sepulturam in Ecclesia non consecrata, nec habens cæmiterium benedictum, *Innoc. in cap. abolendæ, de sepulturis, Abb. in Rub. eod.* & licet Ecclesia nō consecrata gaudeat priuilegijs Ecclesiæ consecratæ, *cap. fin. ext. de consecrat. Eccles. vel Altaris, cap. penult. extra de immunit. Eccles.* aduertendū tamen ibi agi de casibus specialibus, vt patet, nec trahi posse ad istum casum sepulturæ, in quo requiritur locus consecratus, *Card. in Clem. 4. & 5. de sepulturis*, vbi adducens hoc argumentum, quod Ecclesia non consecratà vtitur priuilegio consecratæ, concludit tamen non esse locum sepulturæ, nisi cæmiterium sit deputatum sepulturæ cum debita solemnitate, & sic cum benedictione, quia sine ea cæmiterium esse non potest, licet ergo quis possit sibi eligere sepulturam, *cap. primo, ext. de sepulturis, & cap. licet, eod. tit. in 6.* non tamen licet eligere in loco priuato, *cap. fraternitatis, & ibi Abbas in 3. notab. eod. tit.* Et licet secundum ius ciuile ex illatione mortui, locus efficiatur religiosus, *l. 2. C. de relig. & sumpt. funerum, l. in tantum, §. sacræ, ff. de rerum diuisione;* nō tamen secundum Canones,

nisi

nisi locus ille ad vsum sepulturæ auctoritate Episcopi fuerit deputatus, *Mathesil. sing. 95. nu. 1.* vt seruatū fuit Bonon. tempore Pestis anno 1630. de mand. Eminentiss. Card. Ludouisij tunc Bonon. meritiss. & vigilantiss. Archiep. *gloss est in cap. in Ecclesiast. 13. q. 2. Innoc. & alij in d. cap. abolendæ, de sepult. Ant. de Butrio, & Abb. in cap. ad hæc, ext. de relig. domibus, Aret. in §. religiosum, Instit. de rerum diuisione, Imola in l. quid ergo, l. 1. § si hæres, in fine. ff. de leg. 1.* id tamen fallit, quando Ecclesia ex priuilegio habet ius funerandi, *Archidiac. in cap. primo, de sepulturis, in 6. Abb. in cap. fraternitatis, & in cap. certificari ext. eodem titulo,* & non solum procedit fauore Fratrum
9 Mendicantium, sed & Monialium, nam licet mulieres non possint prædicare, aut publica docere, nec cōfessiones audire, nec sacra vasa tangere, & incensum circa Altaria deferre, nec ordinare, nec ab alio ordinari ad Ecclesiasticos ordines, *cap. mulier, & cap. sacratas 23. distinct. cap. 9. de pœnit. & remiss. cap. mulierem 33. quæst. 5.* tamen non reperitur, quod non possint corpora fidelium defunctorum in suis Ecclesijs sepulturæ mandare; imo videtur permitti, quod apud eos quis possit sepeliri, *cap. vbicunq; ibi vel san-*

Monialiũ religiosa Congregatio 13. quæst. 2. & hoc oſtenditur, quia ſepeliri nihil aliud eſt, quam humanũ cadauer in loco concauo deponere, vbi quieſcat, iuxta definitionem, de qua dixi *cap. 1. in princ.* iſte autem actus ita poteſt exerceri per fœminam, ſicut per maſculum, quia in tali actu non agitur de conſilio, & ingenio, quæ communiter maiora ſunt in maſculis, vel de aliqua ſolemnitate, vel cærimonia, in qua potius deferen. ſit maſculo, ergo cum hæc, & ſimilia ceſſent, debent pares eſſe fœminæ maſculis, & tanto magis id eſt dicen. quia ea, quæ ſpectant ad funerandum, poſſunt exerceri per alios, & videmus in ſimili, quod licet animarum cura non competat mulieribus, quoad exercitium actuale tamen Ius curæ poteſt competere Monaſterio Monialiũ, vt exercitio comitat viro illius poteſtatis capaci, *Natt. conſ. 432. nu. 9. & post ſacram Rotam tenuit Felin. in cap. dilecta, extra de maioritate, & obedient. nu. 4. & in cap. cum venerabilis, de except. quem ibi allegat Nattanum. 11.*

Et conſuetudo hodie viget, vt quis ſepeliatur in Eccleſia etiam non conſecrata, de
10 qua poſt *Antonin. in ſumma atteſtatur Sylueſter in Summa in verbo ſepultura, nu. primo in fine,*

fine, & melius idem Natta d. conſ. 432. nu. 12. vbi etiam id ſuſtinet de iure, & cæmiterium non conſecratur, ſed tantum benedicitur, *c. nemo, de conſecrat. diſtinct. prima,* & ideo ſacrum non dicitur, niſi largo modo, vt dicit *Abb. in d. c. abolendæ,* vbi etiam ſubdit, quod hac ratione cæmiterium eſt minus dignum, quam Eccleſia, *cap. 1. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. in 6. & ſequuntur prædicti Felyn. & Modern. in cap. 1. de iudicijs.*

11 Poteſt enim quis eligere ſepulturam, de licentia tamen Curati, vel Epiſcopi, extra Parochiam, vt poſt diſputationem tenet *Calueſ. in ſumma, in verbo ſepultura, nu. 4. verſic. Sed ego teneo, Io. Andr. in cap. 1. nu. 3. de ſepult. in 6.* dato, quòd ſit pubes, & in poteſtate patris, *cap. licet, §. 1. de ſepulturis, lib. 6. & ibi aduertit Dominicus de S. Geminiano num. 2 & Anchar. nu. 1.* ex hac ratione, quia ius ſepulturæ eſt mutabile, ex voluntate eius, de cu-
12 ius ſepultura agitur; & quia filius non eſt ſubiectus paternæ poteſtati quoad electionem ſepulturæ, nec in alijs ſpiritualibus, *Bertach. de Epiſc. §. videmus, nu. 28. Idem Dominic. in d. cap. licet, num. 1.* & tanto magis ſi filius eſſet emancipatus, *Aſin. in l. familiaria, nu. 43 ff. de relig. & ſumpt. funer. Medices in d. tract. de*

 ſepul-

sepulturis, quæst. 8. nu. 19. Crauet. cons. 10. & nõ facta electione, debet quis sepeliri in Ecclesia, in loco, vbi sunt maiores sui, *Rota decis. 787. parte 2. nu. 2. in nouiss. Barbos. in tract. de offic. & potest. Paroch. cap. 26. num. 32. & 33.* & si non habet locum, debet sepeliri in cæmiterio Ecclesiæ Parochialis, ita apertè dicit *glos. in cap. 1. de sepulturis, in sexto*, sed si laborans in extremis, committeret alteri electionem sepulturæ, & antequam Cõmissarius eligeret, ipse decederet, non posset ipse Commissarius post mortem eligere, nam morte committentis, facultas eligendi est expirata; nam aliud est electionem sepulturæ committere, aliud sepulturam eligere, vt post plures textus, & rationes docuit *Lapus in cap. is qui, num. 5. eod. tit. de sepult. in sexto*, dicens, talem esse tunc sepeliendum, vel in parochiali Ecclesia, vel suorum maiorum.
13 Quorum appellatione intelliguntur Pater, & Auus, *cap. Ebron 13. quæst. 2. cap. primo de sepultur.* nec maiorum appellatione venire in hoc casu Proauum, & Attauum dixit *Domin. de S. Gemin.* post lõgam disputationem *in d. c. is qui, nu. 10. de sepult. lib. 6. de veriori attestatur Angel. Caluas. in dicto verbo sepultura, num. 15. & dixit Oldrad. cons. 25. num. 2.*
quod

quod si illi ascendentes vlterioris gradus in hoc considerarentur, oporteret nos quærere agrũ Damascenum, vbi formatus fuit Adam, *Sperellus decis. 88. nu. 7.* subiungens, *quod melius dixisset, si expressisset quærẽdum esse montem Caluarium, vbi Adam sepultus fuit.*

14 Viatores autem, & peregrini, non electa sepultura, debent sepeliri in Parochiali Ecclesia, sub qua moriuntur, ita post *Vgon Vincent. & Rayn. tenuit Archidiac. in cap. 1. de sepultur. in 6. num. 4. & approbat Lap. in cap. religiosi, eod. tit. in 6. num. 4.* dicens veriorem esse, & licet *Goffred. & alij plures dixerint* sepeliendos esse in Cathedrali, *Io. tamen Andr. in cap. 1. eod. lib. 6. num. 4. & in cap. in nostra, nu. 18. ext. de sepultur.* Refert istam quæstionem fuisse de facto Senis in persona cuiusdam Magnif. Militis forensis, nempè Ioãnis Assonij de Vbaldis Capit. Gener. Armorum D. Comitis, virtutum in bello Florentinorum, qui decessit in Parochia *S. Christophori*, & sepultus in Ecclesia Cathedrali, cuius funeralia fuerunt magnifica, & plurimũ sumptuosa, subiunxitq; d. Parochiã non nisi quartam portionem debitam Parochiali habuisse, eo quia ibi domum conduxerat, licet non habitasset, quia erat Capitaneus Generalis

Armorum, vt ſupra; nihilominus *Archidiaconi, & cæterorum* præualuit opinio, prout docet *Dominicus de S. Geminiano in cap. primo de ſepulturis in 6. n. 4. Silueſter in verbo ſepultura, nu. 8. verſ. Secundũ, Peregrini, & aduenæ,* qui tamen cũ *Antonio* ſic diſtinguit, *ſi peregrinus ſit religioſus, debet ſepeliri in Monaſterio ſui Ordinis, ſi verò ſit laicus, ſi moram traxit in Parochia, vbi deceſſit, aut venit animo trahendi, vt Scholaris in ea ſepeliatur, quia illa dicitur ſuæ Eccleſia Parochialis ibi ſepeliatur, ſi verò nõ traxit, nec venit animo trahendi, ſepelietur in Eccleſia Cathedrali, niſi tamen recepiſſet Sacramenta à Sacerdote parochiali,* & tali diſtinctioni, *Silueſter* reiectis alijs ſe ſubſcribit, approbans tamen in hoc conſuetudinem, & propterea *Anchar. in d. cap. in noſtra,* dixit valde dubitare, & allegat *Feder. de Senis* pro Parochia affirmantem *in conſ. 214. num. 7.*

15 Filij illegitimi, ſi ſunt naturales tantùm, ſepeliuntur cum patre, niſi pater fuiſſet in dignitate, *Angel. in dicto verbo ſepultura, nu. 21. & Silueſt. nu. 8. verſ. Quartum,* dicens, quod ſi ſunt ſpurij, nullatenus ſepeliuntur cum patre, *Petr. de Vbald. de Canonica, Epiſcopali, & Parochiali q. 9. nu. 15.* dicens tales, & vulgo quæſitos eſſe cum matre ſepeliendos, niſi

nisi ipso patre volente, & ad eius cõtemplationẽ essent legitimati, & si sint legitimati, post mortem patris, sepeliũtur in sepulchro matris, *Medic. in d. suo tract. de sepul. q. 7. nu. 22.*

16 Vxor nupta, & ad domum mariti ducta, non electa sepultura, sepelietur in sepulchro viri, quia iam consecuta est domicilium viri per conductionem, & quia per copulam carnalem sunt effecti vna caro, & quos Deus cõiunxit, homo separare non debet, *Crauett. cons. 10. nu. 6. Astn. in l. familiaria, nu. 13. ff. de religios. Angel. in dicto verbo sepultura, num. 22.*

17 *& Siluest. num. 8. vers. Quintum*, si autem sit à viro per adulterium separata, non sepelietur, nisi fuerit reconciliata, *cap. plerunq; ext. de donat. inter vir. & vx. & ibi affirmant Ant. de Butr. Abb. & alij, Clar. in praxi in §. adulteriũ in verbo caueat, num. 18. Angel. & Siluest. in locis prædictis, & Medices dicta quæst. 7. num. 16.* & ratio est, quia per adulterium desijt esse de domicilio mariti, & quia amisit nedum dotem, *Clar. in dicto §. adulterium, nu. 15.* sed & omnem honorem, & dignitatẽ ex persona mariti, *Tiraquel. in p. l. connubialem, glos. 1. par. prima, num. 45.* vbi plures Doctores, & rationes allegat; & si mulier plures habuerit viros, cum vltimo, cuius domicilium re-

tinuit, est tumulanda, verba tex. sunt clara *in cap. is qui, §. mulier, de sepulturis in 6. & ibi Ioan. Andr.* dixit id procedere, etiam si postquam fuit vidua, reuersa est ad domum patris, quia hæc priuilegia cōceduntur non loco, sed personæ, & etiam si se transferat ad alium locum, vt hæc omnia comprobat doctissime *Petrus Vbaldus in dicto tract. de Canonica Episcopali, & Parochiali, d. quæst. 9. num. 20. & 21. Io. de Turre Cremata in cap. facultates, §. nunc quæritur 13. quæst. 2. num. 18. & nouissimè post alios Sperel. dicta decis. 88. nu. 13.*

18 Summus Pontifex nō electa sepultura, sepelietur in Ecclesia Cathedrali loci, vbi residebat Curia, nam sepelitur quemadmodum sepeliuntur Episcopi in eorum Ecclesijs Cathedralibus, *idem affirmat Petr. de Vbald. loco quo sup. nu. 28.*

19 Cardinales verò, non electa sepultura, si decedant in Curia, sepeliuntur in Ecclesia Cathedrali, cū ibi censeantur habere domicilium, vbi Papa residet, cum continuo assistant Papæ in consilijs, *cap. fundamenta, §. decet, de elect. in 6.* si autem è Curia recederent propter infirmitatem, pestem, & intemperiem aeris, corpora deferuntur ad Curiam, & sepeliuntur in Ecclesia, in qua sepeliri debuis-

buissent, si in Curia Romana decessissent.

20 Et si Legatus quis mitteretur sepeliretur in Ecclesia Cathedrali illius Ciuitatis, in qua moritur, quasi Episcopus dictæ Ecclesiæ Cathedralis; Ita aduertit idem *Pet. Vbald. loco de quo sup. n. 29. & seq. vbi plura habentur.* Bononiæ tamen vidi sepeliri Reuerendiss. D. Zanottum Vicelegatum olim Eminentiss. D. Card. de Monte Alto, & pro eo Bonon. residentem, in famigerata Ecclesia S. Petronij, in qua est consuetum Summos Pontifices ad Ciuitatem accedentes, & eorũ Legatos omnes functiones Ecclesiasticas diebus decretis facere, & diuina Officia audire.

21 Leprosi, & alij, qui morbo contagioso laborant, vt illi, qui morbo epidimiæ decesserunt, sepelientur in loco non periculoso, ne possint nocere viuis, sunt tamen sepeliendi in Ecclesiastica sepultura, *Abb. in cap. sacris, nu. 6. extra de sepulturis, Medices de sepulturis, quæst. 7. nu. 36.*

22 Quid si dubitatur de cadauere reperto, an fuerit Christiani, vel Infidelis, vel excommunicati, & videtur in meliorem partem interpretandũ, si aliqua probabilitas ex opposito non posset desumi, *Pisanell. in verb. Sepultura 4. §. quid fiet.*

Illi

23 Illi enim, qui ad villam se trãsferunt causa colẽdorum agrorum, vel solatij, & ibi moriuntur, nondum electa sepultura, non sepeliuntur in villa, in qua non habent domicilium, sed vel in Parochia, vel potius apud maiores suos, si sine periculo, & commoditate illuc deferri possint, *cap. is qui, de sepult. lib. 6.* secundum tamen distinctionem superius dictam, *Armilla in verbo sepultura, nu. 20.*

24 Plures.n.alij, & varij modi inhumãdi corpora defunctorũ penes populos seruabantur.

Lothofagi suos in mare abijciebãt defunctos, asseuerantes parum interesse humore, an aqua, aut igne absumerentur.

Albani olim nefas putabant curam mortuorum agere.

Sabæi corpora defunctorum, corpora inter stercora retinebant, & Reges reijciebant inter sterquilinia.

Troglodytæ mortui ceruicem pedibus alligabãt, & raptim cũ iocis, & risu efferebant, nullaq; habita loci ratione sepeliebant.

Scythæ mortuos inter epulas vorare causa honoris consueuerant.

Hyrcani non ad alium vsum nutriebãt canes, quam vt eis functos vita vorandos obijcerent.

Athe-

Athenienſes magnam ſepulchrorũ curam habuerunt, & ſi quis dux bello peremptos ſepulchro honeſtare neglexiſſet capite plectebatur; quod & ſeruarunt Macedones; & apud Hebręos cautum fuit, ne inſepultum hoſtem relinquerent.

Aegyptij in domorũ ædificatione negligentes magno ſumptu, ſuperbaq; magnificentia conſtruere ſepulchra conſueuerant, operaq; prodigiosè pyramides, quod exiſtimarẽt defunctorum domos ſempiternas, virorum verò domicilia eſſe, velut vitæ momẽto tranſeuntis diuerſoria; Idem mortuos cõdiunt, & eos domi ſeruant.

Perſæ cera circumlitos itidem condiunt, vt magis diuturna ſint cadauera.

Sindi tot piſces in ſepulchra mortuorum mittebant, quot hoſtes interfecerant; hæc enim ex auctoritate *Cælij, & Ciceronis* deſumuntur, ex *Io. Rauiſio Textore in officina in tit. de vario inhumandi ritu fol. 227.* vbi multa notabilia habentur memorãte in titulis pręcedẽtibus, homines, qui reuixerunt, quę omnia referuntur cum allegatione multorum exemplorum per *Caſſaneum in Cathalogo gloriæ mundi in 2. parte, in 5. conſideratione*, vbi multa notabilia deſcribit.

25 Hodie verò, vt videmus cadauera, deferuntur ad Ecclesiasticā sepulturam cum sonis, & cantibus psallētium, propter concursum fidelū, & preces ad Deum pro eis fundendas, *cap. quia diuina, & c. vbicunque 13. quæstione 2. Ias. in l. furiosum, C. qui testamenta facere possunt, nu. 4.* referens quemdam Patauinum ordinasse, quod eo mortuo, cadauer suum sine planctu cum sonis, & cantibus deferretur ad Ecclesiam, & fuisse iudicatum furiosum, *Gratian. nouissimè in discept. forens. cap. 298. nu. 6.* & idcircò *Cassaneus in d. consideratione 5. in fine, cum Castren. dixit*, Testamentum illius Patauini, qui erat Doctor, & iussit sine planctu debere deferri ad Ecclesiam, fuisse bestiale.

SVMMARIVM.

SVpplicio damnatis non est deneganda sepultura, nu. 1. Non tamen conceditur extrema vnctio, ibi nu. 1.

Famosi latrones in illis locis, vbi grassati sunt, furca sunt figendi, vt alij deterreantur, nu. 2. Et si moriantur impœnitentes, sepultura Ecclesiastica priuantur, num. 29. & Cadauera dantur feris, & volucribus, nu. 30.

Su-

Suspensus in furcis mortuus vltra vnam diem non est tenendus, nu. 3.

Missus in exilium ab aliqua Ciuitate, non potest absq; Principis scientia in eam Ciuitatem mortuus duci, nu. 4.

Pœna etiam post mortem manet, nu. 5.

Manifestus vsurarius non est Ecclesiasticæ sepulturæ tradendus, nu. 6.

Nec Monachus, qui occultè bona detinet, sed in sterquilinio ponendus, nu. 7.

Nec ille, qui se ipsum occidit, num. 8. etiam si id factũ sit ad euitan. aliquod aliud peccatũ, nu. 2. licet tamen pro eo orare, nu. 9. poterit tamen in Ecclesia sepeliri, si ex causa furoris, vel alicuius doloris impatientia quis se occidisset, nu 10.

Repertus in puteo, est sepeliendus in loco sacro, num. 11.

Ille enim, qui ad euitandam pœnam damnationis nollet cibos assumere, non est sepelien. in Ecclesiastica sepultura, num. 13.

Antonius Monterẽtius Bononiensis, qui seipsum occidit, fuit inter stercora proiectus, nu. 14.

Licet se interficere intuitu diuini honoris, vt euenit de Sanson, & de multis mulieribus, ne infideles luxuriarentur, nu. 15.

Tali etiam sepultura Ecclesiastica priuatur Infide-

delis, & Hæreticus, nu. 16.

Item moriens in torneamentis, nu. 17.

Item moriens in agitatione Taurorum, nu. 18.

Item & moriens in singuli certamine, nu. 19.

Item moriens non confessus, nec communicatus semel in anno, nu. 20.

Item Blasphemus impœnitens, num. 21.

Item notorius peccator, num. 22.

Item excommunicatus, num. 23.

Si tamen excommunicatio fuit iusta, nu. 24.

Sententia excommunicationis contra debitorem obligatum in forma Cameræ Apostolicæ impotentem soluere, non ligat etiam si præcesserit pactum, vt possit excommunicari, num. 25.

Item sepultura Ecclesiastica priuantur mortui ex ventre matris egressi, nu. 26.

Mulier prægnans, partu viuo, potest sepeliri in cæmiterio, sed si fœtus sit mortuum, aperiri debet & fœtus extrahi, & extra cæmiterium sepeliri, nu. 27.

Item priuantur raptores, & Ecclesiæ violatores impœnitentes, nu. 28.

Item fures, si in actu furãdi, vel depredandi occidantur, nu. 31.

Item extrahentes à sepulturis corpora defunctorum, vt ossa à carnibus separata ferant, sepelienda in agro suo, nu. 32.

Item

Item Parricida, num. 33.

Pœna Parricidæ describitur, nu. 34.

Item Laici moniti, non soluētes Decimas, nu. 35.

Item ille, cui Interdictus est ingressus Ecclesiæ, etiam si pœnitentiam egerit, nu. 36.

Quod declaratur, num. 37.

Item Episcopus, qui in visitatione, occasione procurationis, aliquid sumpserit contra formam c. exigit de censibus in sexto, num. 38.

A sententia denegante sepulturam Ecclesiasticam, non datur appellatio, ibi.

Et prædicti, quibus denegatur sepultura Ecclesiastica, si fuerint sepulti in loco sacro, & corpora possint discerni exhumandi sunt, nu. 39.

Non debet inspici cadauer mortui tumulati, nisi de licentia Curiæ Episcopalis, nu. 40.

Vbi extra Cæmiterium Christianus sepelitur, est apponenda Crux, nu. 41.

Nomina eorum, qui in Ciuitate Bonon. pro Assumptis ab vniuerso populo fuerunt electi ad inuigilan. pro beneficio, & liberatione Ciuitatis, num. 42.

CAP. V.



1 FVit multoties disputatum in Republica benè instituta, & potissimum Christi Religione imbuta, an vltimo affectis ob crimina supplicio, sepultura negari possit, nam sæpè eorum cadauera insepulta diù publico spectaculo manent in ipsis suspensa patibulis; cōstat enim cuique detur Sacramentū Pœnitentiæ, concedatur sepultura, *c. quæsitum 13 quæst. 2.* Sacramētum autem Pœnitentiæ nequaquam negari potest vltimo supplicio damnatis, si verè pœniteant, etiam si atrocissima perpetrauerint crimina, *cap. 2. de furtis, cap. super eo, de hæreticis in 6. Clem. 1. de pœnit. & remiss. vbi glos.* dicit idem esse de Sacramento Eucharistiæ, quod probatur *d. cap. 2. & in d. cap. super eo,* etiam tempore interdicti, *Siluester in summa in verbo interdictum 5 quæst. 7.* Vsu tamen multoties obtentum est, ne his, qui proximè sunt pæna mortis puniendi, Eucharistiæ Sacramentum detur, sicut nec eis iure datur extrema Vnctio, cum ea tantum exhibenda sit his, qui corporis ægritudine laborant, & ob eam in mortis periculo sunt constituti,

quem-

quemadmodum in specie docet *Diuus Thomas in 4. senten. dist. 23. quæst. 2. art. 2. Siluester in verbo vnctio, num. 5. sed Ioan. Andr. Dominicus de Sancto Geminiano, & Franc. in d. cap. super eo*, sic dicunt, si verum est, vt in Iure probatur, his nõ posse negari Sacramentum Pœnitentiæ, apertè colligitur, nec sepulturam iustè posse eis negari, cum hæc duo pariter cõcedantur, imò nec posse consuetudinem induci, vt damnatis vltimo supplicio denegetur Ecclesiastica sepultura, nec ea Iudices punitorum cadauera hoc sepulturæ beneficio priuantes à peccato immunes esse probare conatur, *Petrus à Rauena in tract. valete cum perpetuo silentio, fol. 10. col. 1. ex tex. in Clemen. 1. de pœnit. & remiss. & post tex. in cap. fin. 13. quæst. 2. dixit Siluest. in dicta summa in verbo sepultura, nu. 10. vers. Si verò contritus.* Nihilominus tales Iudices possunt excusari: nam *in l. capitalium, in vers.*
2 *famosos, ff. de pœnis*, legitur scriptum famosos Latrones in illis locis, vbi grassati sunt, furca figendos esse, vt & conspectu deterretãur alij ab ijsdem facinoribus, *& in l. 1. ff. de cadauer. punit.* habetur corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda nõ esse, & id obseruasse attestatur *Cæsar Augu-*

gu-

gustus de vita sua lib. 10. Non enim negantur, si petātur ossa, & cineres, etiam si comburantur quibuslibet petentibus, vt sepulturæ tradantur, requiritur tamen Iudicis permissio; nam aliquando ob criminis grauitatem in exemplum oportet, vt insepulta maneant, sed suspensum in furcis mortuum
3 nō esse tenendū vltra vnum diem, post *Petr. de Rauen. & Bald. dixit Mathesilanus singul. 75. nu. 18.* Facit etiam id, quod dicitur missum in exilium ab aliqua Ciuitate, non pos-
4 se absque Principis licentia in eam Ciuitatem mortuum duci ad sepulturam, vt affirmant *Bart. in l penult. de cadauer. punit. Ias. in l. 2. nu. 3. C. qui test. facere poss. Io. Staphileus de litteris gratiæ, & iustitiæ fol. 191. & licet Io. de Anania in cap. 2. de furtis, & Mars. in l. fin. nu. 58. ff. de quæstionibus*, tenuerint posse ossa, & cineres inconsultò Principe in eum locum duci ex quadam benignitate, eo quod ossa mortui non sint homo mortuus, *l. 2. §. Prætor, l. ossa, & l. liberum, ff. de relig. & sumpt. funer.*
5 attamen eorum opinio damnatur, quia pęna etiam post mortem manet, *l. 2. ff. de cadau. punit. vbi Bart. Abb. & Felin. in cap. à nobis, il 2. de sent. excomunicat. ita Dilect. in tract. de arte testandi, in tit. nono, de sepult. caut. 2. per*
to-

totam, & eadem ratione manifeſtus Vſurarius non eſt Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradēdus, donec hæredes vſuras reſtituerit, etiam ſi ipſe eas reſtitui iuſſerit, *cap. quamquam, de vſur. in 6.*

Item Monachus, ſi contra paupertatis votum aliquot bona occultè mortis tempore habuerit; nam corpus cum ipſis rebus in ſterqui-
7 linio ſepeliendum eſt, *cap. cum ad Monaſterium, ext. de ſtat. Monach.* in ſignum illius perditionis, ſecundum quod *Diuus Gregorius narrat in Dialogorum lib. 1. cap. 55.* Sed non ita præcipitanter priuan. eſſe Eccleſiaſtica ſepultura Religioſum inuentum mortuum cum burſa denariorum, exiſtimat *Barboſ. in tract. de offic. & poteſt. Paroch. cap. 26. num. 47.* dicens eſſe præſumen. denarios non eſſe proprios, vel quod ex obliuione, aut negligentia ibi remanſerint, idque plurium auctoritate probat nouiſſimè *Antonin. Diana in parte 4. reſolut. moral. tractat. 4. miſcell. reſol. 23.* eo quia à ſeculari tales pecunias potuit habere in depoſitum, reprobans *Nazar.* dicentem, quod reperta magna pecuniarum ſumma, cenſendus eſt proprietarius.

8 Item ille, qui ſe ipſum occidit, in Eccleſia non eſt ſepeliendus, *cap. placuit 23. quæſt. 5. Ro-*
9 *man. ſingul. 264.* licet tamen pro eo priuatim orare, quia forſitan in vltimo vitæ ſpiritu cri-

minis dolorem, & contritionem habuit, sicuti *Palud. explicat in 4. sent. dist. 20. quæst. 1. col. 1.* vel quando aliquibus cõiecturis posset desumi eum captũ furore, & alicuius doloris impatien-
10 tia, aut mentis alienatione se ipsum occidisse, *glos. in cap. displicet, in verbo ut moreris 23. q. 4. Medices de sepulturis, quæst. 11. nu. 6.* quo casu, & corpus Ecclesiasticæ sepulturæ traden. esse dixit *Io. Gallus quæst. parlam. 127. Nald. in sum-*
11 *ma in verbo Sepultura nu. 6.* Nec repertus in puteo priuandus est Eclesiastica sepultura, quia non præsumitur se ipsum præcipitem dedisse, quod notat *Sociu. iun. cons. 51. lib. 1. Abb. in cap. ex parte, num. 4. extra de sepulturis, Ioan. Lup. in*
12 *rub. de don. §. 70. nu. 6. & 7. & §. 89. nu. 2* Igitur sepultura negatur se ipsum occidenti ob delicti atrocem culpam, etiam si id fiat ad aufugien. stuprum, aut euitan. aliud quodcunq; peccatum, pati .n. omnia mala debet quis potius, quam peccato consentire, nõ tamen gra-
13 uissimũ proprij homicidij crimen admittere debet ex causa alterius delicti auertendi, probat *tex. in d. cap. displicet 23. q. 4. in vers. Modo & quæ sequuntur. Couar. var. resolut. lib. primo, cap. 2. nu. 9. vers. 3. & num. sequen.* dicens comprehendi eũ, qui ex causa euitan. pœnam damnationis sibi cibos nollet assumere, *Tiraquel. de*

nobilitate cap. 31. nu. 375. & num. 520. Legitur
14 enim Antonium Monterentium Bononiēſem
II. Doctorem, & Collectorem pro Sede Apoſto-
lica in Auenionenſi Prouincia anno 1582. im-
pias ſibi manus intuliſſe, & prius faſciculum
literarum ſcripſiſſe, directarum reſpectu vnius
ad Sanctiſs. Gregorium XIII. alteram ad Car-
dinalem Comenſem, tertiam ad Cardinalem
Armaignacum, & alteram ad D. Sebaſtianum
eius fratrē, & à Papa petebat benedictionem,
& vt miſeræ animæ pijs faueret ſuffragijs, Car-
dinales verò rogabat, vt corpus ſuum Catho-
licorum more ſepeliretur; quare in *Rota Aue-
nionenſi* fuit dubitatū, an cadauer furca figen.
eſſet, vel manus, quæ ſibi mortem parauerat
eſſet reponenda in publicum ſpectaculum, &
an eſſet dignus ſepultura; & poſt longum di-
ſcurſum omnes concorditer dixerunt, ſepultu-
ra careat, & inter ſtercora proiciatur, *vt in de-
ciſione Hieronymi à Laurentijs Rotæ Auenionenſis
123. per totam*, vbi caſus veridicè exprimitur,
15 ſi tamen quis ſe interficeret intuitu diuini ho-
noris, ne ſcilicet vituperium exerceretur in
proprio corpore redundans in contemptum
Dei, ſicut timebat *Sanſon*, vt penes *Iudith cap.
16.* id liceret, nam *Sanſon* inter Sāctos connu-
meratus eſt, legitur in *Epiſt. ad Hebræos cap. 11.*

ſic plures mulieres ſe ipſas occiderunt, ne Infideles luxuriam exercentes eis abuterentur contra diuinum honorem,ita refert *Gul. Bened. in c. Raynutius, in verbo mortuo.* Itaque & ſi quis fuerit de crimine accuſatus, & ſe occidit, habetur pro confeſſo, & eſt locus pœnæ legali, *l. 3. §. 1. ff. de bonis eorum, qui ante ſententiam ſibi mortem conſ. Corn conſ. 195. lib. 2. Doct. in l. 2. C. qui teſtam fac. poſſ. Io. Igneus in l. 1. § ſi ſibi manus, ff. ad Sylen. nu. 16. & facit tex. in l. omne delictum, §. ſi ſe vulnerauerit, ff. de re milit.*

16 Item pariter priuatur ſepultura Eccleſiaſtica Infidelis,& Hæreticus, Iudæus,& Paganus, etiam ſi talis detegeretur poſt mortem, *c. Eccleſiam, de conſecrat. diſt. prima, cap. ſanè 24. quæſt 2.* & non ſolum ipſi non ſunt ſepeliēdi in Eccleſiaſtica ſepultura, verum etiam eorum fautores, & receptatores, *Barboſ. in collectan. ad cap. excommunicauimus num. 39. de hæreticis, Lauor. in tract. de priſco, & recenti funerādi more, tit. 2. cap. 12. nu. 9.* ſi tamen hæreticus ante mortem manifeſta ſigna dedit cōuerſionis, licet ab hæreſi abſolutus non ſit, poteſt in loco ſacro ſepeliri, ſed ad euitādum ſcandalum, & alia incommoda, oportet prius Epiſcopum admonere, qui ſi vellit etiam poſt mortem hominem ab excommunicatione abſoluere poteſt, *Paul. Lay nan. in moral.*

moral. Theologia in verbo Sepultura sacra, vers. Si hæreticus, f. 984. cap. 1. num. 82.

17 Item moriens in Torneamentis, *cap. 1. ext. de Torneamentis*, vbi in *Concilio Lateranensi* dicitur alias id statutum fuisse, & ab *Innocentio*, & *Eugenio*, & ibi dicitur procedere, etiam si quis petierit, & obtinuerit pœnitentiam, & *in cap. seq. ad audientiam. Stephanus Cost. in tract. de ludo in §. succedit, in princ. Io. Brunel. in tract. de spons. & matrim. in 2. concl. in 4. ampl nu. 22. Gabr. Sarayna in singul. annot. ad Matthesil. in singul. 75. nu. 19.* Excluditur tamen ille, qui casualiter ex causa exigendi à debitore de equo, cecidisset, & non animo pugnandi accessisset, & ibi aduertunt *DD.* & ex hoc ibi torneamenta prohibentur, quia nemini licet exercere ludum noxium ad ostẽtationem virium, & causa virtutis demonstrandę, nec cõceditur, si imminet ex eo periculum mortis, & animarum, imò sepultura denegatur, etiam pęnitenti ad terrorem aliorum, vt ibi notant *Abb. Anchar. Angel. Caluasius in summa, in verbo sepultura, num. 29. Pisanell. in summa in eodem verbo sepultura 4. in princ.* dicens, sepulturam denegari, dato etiam, quod ante mortem pœnitẽs Sanctissimum Eu-
18 charistiæ Sacramentum susceperit; & in *verbo Torneamenta*. Et idem dicitur de moriente in

agi-

agitatione Taurorum, ex *Bulla Pij Quinti quinquagesima prima*, prohibente agitationem Taurorum, & Ferarum, & annullante vota, & iuramenta super eisdem ibi, *quod si quis eorum*, & ibi, *mortuus fuerit, Ecclesiastica careat sepultura.*

19 Et pariter procedit in moriente in singuli certamine, *ex Conc. Trid. de reform. cap. 19.* vbi duellorum vsus tollitur, & pugnātibus, & permittentibus, imponitur pœna etiam perpetuæ carentiæ sepulturæ, quod declaratur non procedere, quando quis ostendit signa contritionis, *vt per Laur. Portel. in resp. moral. par. 3. cas. 10. nu. 3.* & quod possit pro eo Missa celebrari, dixit *Antonin. Diana in tract. 4. Miscell. resolut. 192. propè finem.*

20 Item moriens non confessus, nec communicatus semel in anno, priuatur Ecclesiastica sepultura, *cap. omnis, extra de pœnit. & remiss.* nisi super hoc se emendasset in articulo mortis, *S. Antonin. 3. par. tit. 10. cap. 5. §. 9.*

21 Idem etiam dicitur de Blasphemo, si pœnitentiam non egerit, *glos. in cap. 2. ext. de maledicis, Angel. loco, quo supra,* & idem dicendum

22 est de quolibet peccatore notorio decedente in ipso notorio peccato mortali, vt Meretrices, Concubinarij, Vsurarij, & similes, *c. quibus peccata, & cap. non æstimemus 13. quæst. 2. Asin. in*

l. quod

l. quod ſi nulla nu. 11. ff. de relig. & ſumpt. funer. ſi Eccleſiæ per pœnitentiam non ſint reconci-
23 liati, *c. qui recedunt 26. q. 6.* & de quolibet ex-
cōmunicato ex quouis capite, notatur *in Clem. 1.* [illegible] *ſenod. Durant. de arte teſtandi tit. 9. caut. 7. & per Summiſtas, & nempè Piſanell. in princ. & Siluest. in verb excommunicatio 9. num. 66. & in verbo excommunicatio 10. num. 1.* dicens, quod
24 iniuſta excommunicatio non ligat nec penes Deum, nec penes homines. Si tamen excommunicatus in articulo mortis pœnitentiæ ſigna dediſſet, eſſe in Eccleſia ſepeliendum, *dixit Barboſ. in tract. de offic. & poteſt. Parochi cap. 26. nu. 40.* referens ſic iudicatum fuiſſe per ſacram Congregationem Cardinaliū negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, cum *Io. Baptiſta Maſtrilus* excommunicatus interfectus fuiſſet, & proinde extra ſacrum humatus ad inſtantiam conſanguineorum, eo quod in mortis articulo pœnitentiæ ſigna dedit, prout probatum fuit, dicens, *Confeſſione Madonna Santiſſima aiutami*, repoſitus fuit in ſepulchro Eccleſ.

Si tamen fuerint publici Clericorū percuſſores, etiam nulla facta declaratione, & denūciatione, ē̃t quod iniuſtè fuerint excōicati, ad euitãdũ ſcãdala, non ſunt ſepeliendi in Eccleſiaſtica ſepultura, *ex extrauagan. Martini Quinti*

de

de sepult. cap. sanè 24. quaest. 2. cap. in nostra, de sepult. Mar. Ital. de immun. Eccles. lib. 1. cap. 45. § 4. nu. 3. Idem Lauor. de prisco, & rec. funerandi more
25 *d. tit. 2. cap. 12. nu. 3.* Et est aduertendũ, quod sententia excõmunicationis contra debitorem obligatum in forma Camerę Apostolicæ impotentem, soluere non ligat, quantumuis præcesserit pactum, vt debitor possit excommunicari, *Innoc. num. primo, Host. in 2. col. in c. P. & G. extra de offic. & potest. Iudicis deleg. & ibi Anchar. num. 1.* concludit sententiam prædictam non valere, quando quis nõ potest soluere, si tamen sua culpa non sit factus non soluendo.

26 Item illi mortui è vẽtre matris egreſsi, non sepeliuntur in sacris, & id procedit, si viui nascuntur, sed moriuntur sine Baptismo, *Medices in dicto tract. de sepulturis, quæst. 11. nu. 15.*

Et si moriatur mulier prægnans partu viuo, potest sepeliri in cæmiterio, si autem fætus est mortuum, consuetum est aperiri, & fætus extrahi, & extra cæmiterium sepeliri, *glos. in cap. Ecclesiam, il 2. in dist. prima, de consecrat. & post Lauor. dixit Sperellus decis. 88. nu. 19.*

27 Item publici raptores, & Ecclesiarum violatores, qui obstinata mente non pœnituerint, vel emendauerint, & in morte securitatẽ præstare nequiuerint, *cap. super eo, extra de raptoribus,*

bus, & incendiar. & violatorib. Ecclesiar. Angel. in d. verbo sepultura nu. 29. & si vsque ad mortem steterint, quin pœnituerint, & impotentes sint ad restituendũ, sepultura Ecclesiastica sunt priuãdi ad terrorem aliorum, nisi aliquis vellet pro eis restituere, nam hæredes possunt cogi, *c. in litteris ext. eodem*, tamen hoc casu Clerici non debent interesse sepulturæ, vt ibi in *tex. in d. c. super eo, in §. qui autem,* quod non procedit in alijs delictis, vt ibi aduertit *Abbas in princ. 2. col.*

29 Item omnes condemnati, & morientes in patibulis propter scelera sua, si moriantur impęnitentes, vt decreuit *Concilium Maguntinum,* de quo fit mentio *in cap quæsitum 13. quæst. 2.* si autem fuerunt cõtriti, & confessi, non possunt suspensi in furcas teneri vltra vnũ diem, *Matth. Matthesil. singul. 75. nu. 38.*

30 Item Latrones famosi, quia vltra publicam mortem puniuntur, eo quod non sepeliũtur, sed cadauera dantur feris, & volucribus lanianda, *Ias. in l. 2. C. qui testam. fac. poss. nu. 2.*

31 Item fures, & latrones, si in furando, vel depredando occiduntur, ex quo in peccato mortali reperiuntur, & non sepeliuntur in Ecclesiastica sepultura, *notant Host. in princ & Abb. in cap. fures, extra de furtis, & ibi idẽ Abb. & Henric. Boic. & Addentes ad Hostien.* dicunt, quod si signum

posset dari contritionis, quod essent sepeliendi in Ecclesiastica sepultura, & voluerunt idē operari, quando quis ex necessitate cōfiteretur peccata sua laico, si Sacerdotem, aut alium habere non possit.

33 Item exinterantes, idest extrahentes è sepulturis corpora defunctorum, & ea immaniter decoquentes, vt ossa à carnibus separata ferant, sepelienda in terram suam non debent, nec ipsi sepeliri in Ecclesiastica sepultura, *habetur in cap. 1. de sepulturis, in extrauagan.* vbi in fine habetur, quod corpus illius sic inhumanè tractatum, non debet habere sepulturam, & hic est casus, vt mortuo imponatur pœna sine culpa, vt aduertit ibi *glos.*

34 Item parricida priuatur Ecclesiastica sepultura, *Asin. ex alleg. in l. quod si nulla, n. 10. ff. de relig. & sumpt. fun. probat tex. in l. pœna parricidij, ff. ad l. Pōpeiam, de parricid.* vbi disponitur, vt virgis sanguineis verberatus, sit deinde culeo de corio cocto insuatur cū Cane, Gallo Gallinaceo nō habēte testiculos, quia fortius pugnat cū Serpēte, vt ibi aduertit *glos.* Vipera, & Simia, deinde in mare profundū culeus iactetur, & si mare nō sit proximum, bestijs obijciatur, quod & approbat *l. vnica, Cod. de ijs, qui parentes, vel liberos occiderunt, Sl. in sum. in tit. de his, qui filios occiderunt, nu. 2.*

Ho *& An-*

& Angel. Caluas. in summa in verbo parricidia, in § *quæ pæna,* & id procedit in occidente, nedum Patrem, & Matrem, sed & Auum, & Auiam, vt *in supradictis ll. legitur.*

36 Item Laici non restituentes decimas Ecclesiæ, priuantur Ecclesiastica sepultura, *cap. prohibemus, extra de decimis, vbi Anchar. & alij, & Hostiensis* dicit requiri, quod præcesserit monitio.

37 Item ille, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, non potest sepeliri in Ecclesiastica sepultura, *cap. is, cui,* §. *talis, de sent. excomm. in 6. & ibi Dominicus in princ. Franc. nu. 2. & alij Scribentes,* & tempore Interdicti generalis, siue specialis interdicta est Ecclesiastica sepultura, *cap. cum inter, extra de consuetudine,* etiam si homines pęnitentiam fecerint, quoniam licet peccatores non sint, tamen interdici possunt pro peccatis aliorum, *cap. si habes 24 quæst. 3. cap miror 17 quæst. 4. & ibi glos.* si tamen in morientibus apparuerint signa pœnitentiæ, post solutum interdictũ erunt in Ecclesiastica sepultura sepeliẽdi, *Innoc. in cap. tanta est clauis, extra de excessib. Prælator. nu. 6. & 7.* regula enim est, quod ijs, quibus viuis non communicauimus, nec mortuis communicare debemus, *d. cap. sacris, extra de sepulturis,* & à sentẽtia, ne cadauer tradatur sepulturæ Ecclesiasticæ, nõ datur appellatio, *glos. & Doctores in cap. ex*

parte, il primo, de sepulturis, vbi Anchar. num. 4. quia sepultura hominis non recipit dilationem, *l. ne corpora, ff. de relig.*

38 Episcopus etiam, qui in visitatione aliquid sumpserit cōtra for. *c exigit, de cens. & exaction b. in 6.* non est sepeliēdus in loco sacro, si infra tem-

39 pus in eo tex. statutum duplum nō restituerit, & si celebrauerit, fit irregularis, *glos. in d c. exigit, in ver. interdictū,* quod & notat *Lauor. in d. suo tract. de prisco, & recenti more funerandi tit 2. c. 12. nu. 39.*

Et si aliquis prædictorū, quibus demonstrauimus sepulturam Ecclesiasticam esse prohibitam, fuerit sepultus in loco sacro: si corpus eius discerni possit ab ossibus aliorū exhumādus est, & proijciendus est extra locum sacrum, *Anchar. post Io. Go. & Vincen in d. c. sacris, n. 6.* dicēs, nec prædictos posse sepeliri propè cęmiterium, ne vox Clericorum cantantium ibi possit audiri; si tamen ossa non possint discerni, debent ibi permanere, vt aduertit *Anchar. nu. 8.* & quatenus Infidelis sepultus esset, debent etiam tigna, & parietes radi, habetur in *Concil o Agrippinensi,* de quo in *cap. Ecclesiam il 2. de consecrat. dist. prima.*

40 Et tumulato cadauere, non debent fieri inspectiones illius, nisi de licentia Curiæ Episcopalis, *cap. cum Ecclesia, de immunit. Eccl. cap. decet, §. cessent, eod. lib. 6.* est tamen solitum concedi licen-

centiam Iudici laico exhumãdi corpus occisi ab Ecclesia, ad finem capien. informationem delicti in genere, *idem Lauor. c. 12. nu. 56.*

41 Et in quocunq; loco extra cęmiterium Christianus sepelitur, Crux capiti illius apponi debet, ad denotandum illum fuisse Christianum; quia diabolus valdè veretur, & timet accedere ad locum Crucis signaculo insignitum, *Lauor. in dicto tract. tit. 2. cap. 5. nu. 121.* Sic enim seruabatur tempore Epidimiæ 1630. de iussu sexdecim Assumptorum ad prouidendum vna cum Eminentiss. Card. Spata tunc Bonon. meritissimo Legato vigilantissimo, & oculatissimo, & vnquã satis laudato, omnibus occurrẽtijs Ciuitatis pro liberatione, & prouisione omnium necessariorum, & quorum sexdecim electorum ab vniuerso Populo nomina sunt hęc: Pro Quarterio S. Francisci Perillustris, & Excellentiss. D. Octauius Amorinus I. V. D. Collegiatus, Lector primarius, Illustres DD. Iacobus Palmerius pariter Il. Doctor, Ioseph Rainerius, & Carolus Faccius; Pro Quarterio S. Petri Excellentiss. D. Hieronymus Bonfiolus I. V. D. Collegiatus, Illustriss. D. Co. Alexander Bentiuolus, R. D. Io. Platesius I. V. D. D. Io. Baptista Mandinus; Pro Quarterio Rauennatensi Excellentiss. D. Carolus Antonius Manzinus Philosophiæ Doctor, Illustres DD. Alexãder

der Vitalis I. V. D. Ioannes de Zanis, & Alexander Salarolus; & Pro Quarterio S. Proculi Excellentiss. D. Annibal Menzanus I. V. D. Illustriss. Co. Pompeus Marsilius, & Co. Alexander Barbatia, & Ego Florianus Dulphus inter alios minimus, quæ electio respectu aliorum est multum admiranda tanquam à Populo sine interesse sanguinis, & amicitiæ, prout in alijs fieri solet, sed ex meritis; & quorum memoria legitur in Cancellaria Eminentiss. Legati, dum fuerunt solutæ certæ pecuniæ pro subuentione fabricæ Ecclesiæ S. Isaię in hac nostra Ciuitate.

SVMMARIVM.

Sepultura vtrum possit interdici ad creditorum instantiam, num. 1.

Creditor arrestans pro credito defunctum, incidit in pœnam amissionis crediti, nu. 2.

Appellatio est interdicta, ne corpus mortui sepeliatur, nu. 3.

Per Nouendium attinentes, & fideiussores mortui, non possunt molestari pro debito defuncti, nu. 4.

Aliud est, quod quis sit debitor ex contractu, & aliud est, quod sit ex maleficio, nu. 5.

Vsus sepulchri poterit vendi pro debitis defuncti nu. 6.

Si tamen extet statutum, quod vigore Instrumenti possint debitores carcerari, tunc cadauera defunctorum poterunt sequestrari, nu. 7.

CAP.

CAP. VI.



Epultura Ecclesiastica vtrum possit ex debito ad creditorum instãtiam defuncto interdici, & posse interdici, dixit *Archidiac. in cap. nominationes 2. quæst. 6. num. 15. &*
1 *affirmauit Diuus Ambrosius in Tobiam cap. 16.* ibi: *Quoties vidi à fæneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fænus exposcit, quibus ego acquiescens libenter, vt suum constringeret debitorem, vt electo eo fideiussor euaderet, dixi, tenete Reum vestrum, & ne vobis possit elabi domum, ducite, claudite in cubili, vnde carnificibus duriores, quoniam quem vos tenetis carcer, non suscipit exactor, absoluit;* Interdum in aliquo defuncto religiosæ personæ, interdum seculares petebant debita sibi solui, quæ defunctus debebat, & si eis non satisfiebat, impediebãt ne corpus defuncti traderetur Ecclesiasticæ sepulturæ, & sic responsum dixit fuisse à Papa, vt ibi idem *Arcbid.* & ideo oportebat hæredes, & consanguineos tali casu prestare debere cautionem de soluendo, sic enim, dum modus adesset soluendi corpus defuncti, non tradebatur sepulturæ, dicitur tamen Papam ibi non respondisse secundũ ius commu-

ne,

ne, ſed ſecundum conſuetudinem Anglorum, vt etiam affirmarunt *Rayn. & Alanus*, nam ſecundum ius commune nõ poteſt interdici, nec corpus defuncti arreſtari pro debito, *Gutierez de iuramen. confirmat. par. 2. c. 4. Viuius, qui de cõ: aſſerit lib. 1. opin. 171.* & apertè conſtat ex *Auth. vt defuncti, ſeu funera eorum, non iniurientur à crediterib. §. 1.* & ratio eſt, quia cui viuo communicamus, & mortuo communicare debemus, *c. ſanè 24. quæſt. 2. cap. ſacris, extra de ſepult.* Secundò, ſi alia Sacramenta ei ſunt conceſſa, ſepultura non poteſt denegari, *cap. illud, diſt. 95.* Tertiò, hominem mortuum ſepeliri debere natura, humanitas, verecundia, & ſalubritas Reipublicæ docet, nam & ſi facilis ſit iactura ſepulchri, tamen qui ſuperſtites ſunt, tam barbari eſſe non debent, vt nullam habeant humanitatis rationem, meritò cautum
2 reperitur, ne corpus mortui debitoris ſiſti, ſeu arreſtari poſſit, ſub pœna nedum amiſſionis debiti, ſed & quinquaginta librarum auri, *l. cum ſit iniuſtum, C. de ſepulchro violato*, nam & ſi morte capitale etiam crimen extinguitur, quid iniuſtius, quam debitorum corpora pignori ſubiacere, *Lauor. de priſco, & recenti funerandi more tit. 2. cap. 1. num. 123. Boer. deciſ. 287. Ripa in tract. de peſte in tit. de præſeruatiuis remedijs nu. 101. Couar. lib. 2. variar. reſolut. cap. 1. nu. 10.* Quartò, quia

quia est interdicta omnis appellatio, ne corpus mortui sepeliatur, *l. fin. ff. de appellat. recip. cap. ex parte, extra de sepult.* & si contra defunctum extaret Instrumentum Guarentigratum, *Felin. in cap. sicut Iudæi, vers. Item nota, extra de Iudæis, Petrus Duenas reg. 397.* Idq; more suo doctissimè multorum Doctorum opiniones referẽdo tenuit *Farin. quæst. 20. n. 139. & seq.* vbi multas ampliationes adducit.

4 Quintò, per nouendium attinẽs, nec fideiussor mortui in ius vocari possunt propter funera, *l. si ex re, § illud, ff. de stipul. seruorũ, & ibi glos. §. meminimus, in Auth. vt cum, de appell.* cognoscitur ibi *Bart. & DD. tex. est etiam in Auth. sed nec, C. de sepulchr. viol. Specul. in tit. de Reo n. 15.* sed si affines fideiussores, & hæredes defuncti intra nouem dies à tẽpore mortis debitoris pro debito molestari non possunt certè, nec corpus mortui detineri potest, & si aliter diceretur, quod vna via denegatur, alia cõcederetur, scilicet detinẽ. corpus defuncti, vt ab hæredibus, vel fideiussoribus eiusdem soluen. esset, *Io. de Turrecrem. in cap. si quis 2. quæst. 6. n. 2.* qui secundũ *Vincẽtium* distinguit,
5 an ex contractu mortuus teneretur, & tunc sepulturam impedire non posse dixit, secus si ex malefitio, quia tunc impediri posse affir-

mauit, & de hoc videri possunt scripta supra
6 in *c. 5.* Vsus tamen sepulchri hæreditarij, cum sit pretio æstimabilis, vendi poterit pro debitis defuncti, vt dixit post *Melch. Febum decis. Lusitan 8. nu. 8. & 9 Barbos. in tract. de offic. & potest. Parochi cap. 26. n. 17.* si tamen extet statutum, quod vigore Instrumenti debitores possint carcerari, tunc, vt statutum aliquid operetur contra ius commune, cadauera mortuorum debitorum per creditores sequestrari poterunt, donec ab hæredibus creditori satisfiat, *Idem Archidiac. Ant. de Butrio, & Card. Alexan. quos nouissimè refert, & approbat Ant. Naldus in eius summa in verbo sepultura, nu. 11.* quod ego non admitto, ex scriptis per *Lauor. in d. tract. tit. 2. cap. 1. nu. 121. & seq.* legitur verè *in lib. 4. Regum cap. 4.* quod mulier incontinenti, mortuo viro, clamauit ad *Eliseum*, quod quidam creditor viri venerat, vt tolleret filios ad sibi seruiendum, cui *Eliseus* prouidit, mediante miraculoso augmento olei in vasibus, & ex ipso satisfecit creditori, & liberauit filios, & de reliquo, quod superfuit, vixerunt mulier, & filij, & ideo nedum sequestratio, sed filiorum debitoris captio, in vim sacræ paginæ videbatur admissa, hodie tamen non seruatur.

SVM-

SVMMARIVM.

Romani varijs modis sepeliebant mortuos suos, num. 1.

Linum viuum, quod à Græcis asbertinum vocatur, in igne non consumitur, nu. 2.

Vespilones dicti, quia tempore vespertino sepeliebāt mortuos, nu. 3.

Masuleum dicitur sepultura Regis, nu. 4.

Memoriæ indicāt nomen, & cognomen familiæ, præcipuum mortui Tribunatum, Magistratus, & dignitates defuncti, nu. 5.

Antiquitus retinebātur lucernæ, quæ ardebant etiam vltra mille annos in sepulchris, nu. 6.

Maumethus fuit sepultus in sepulchro ferreo inter montes, qui sustinetur virtute magnetis, nu. 7.

CAP. VII.

1 ROmani in ſepeliendis mortuis varijs vtebantur modis, veluti nos docet *Plinius lib. 11. cap. 37.* aſſerens nunquam fuiſſe morem Romæ, mortuos in ignibus vrere, nam prius erant humari, ſed cum poſtea viderint mortuos, atque humatos bellorum tempore, ex humo eſſe euulſos, & è ſepul-

pulchris ercptos, tali ex causa deliberauerunt eos vrere, diuersa enim in hoc erat obseruantia, fertur etiam in familia Corneliorum, neminem ante Sylam Dictatorem combustum fuisse, qui & ipse iussit sic cum eo seruari timens, ne id sibi fieret eo, quod sic G. Mario fecerat.

Corpus Nummæ Pompilij sepultum fuit in Cenotaphio è lapide iuncto, quod post multos annos Gneus Tarétius in Ianniculo è terra eripuit post mortem, lapsis quadringentis annis, cum esset apertus Collis Ianniculi propter imbrem acerbissimã; & ideo *Plinius, atque Plutarchus in problematis* hanc supradictam cõsuetudinem apud Romanos seruatam fuisse docent, veluti fuit annotatum vsq; ad tempus Antoninorum Imperatorum, quo tempore nonnulli (ne mortui vrerentur, sed humarentur) curarunt.

Inter Romanos etiam obseruabatur, quod si quis ægrotaret, & in articulo mortis reperiretur proximiores consanguinei in spiritus exalatione, ore proprio ipsius halitum accipiebant, & illius oculos claudebant, quod tamen hodie prohibitum esse asseritur, præsertim filijs *ex l. Mænia*, vt *Varo, & Marcellus*, scribunt ne patri oculos claudant, dum spi-

ritum

ritum emittunt; *Lauor. de prisco, & recenti more funerandi tit. 2. cap. primo, num. 26.* Verum emisso spiritu, corpus Vespilones, & lauatritij illud abluebant, & vngebant, & si vrere volebāt, dirigebant Cænotaphium è ligno coniunctū, & alias materias, iuxta mortui statum, quia viri Proceres, plebei, nobiles, atque ignobiles, omnes ijsdem moribus non vtebantur. Deinde corpus mortuum Lotum, atq; vnctum, ferendo ad Cænotaphium, veluti nos docet *Plutarchus in eisdem problematis,* vestibus albis induebant super Cænotaphiū, & illas consternebant multis vnguinibus suffinimentis, & cæteris huiusmodi, multisq; apparatibus funera faciebant, & filij nudato capite, patrem sequebantur, quod & hodie in diuersis Mūdi partibus obseruatur, prout obseruatū fuit in Maximi Caroli Imperatoris V. funeribus, & ex post Principis Caroli eius nepotis, Regis Philippi Hispaniarum filij, & aliorum Dominorum, quos solemnibus apparatibus vsq; ad sepulchrū secuti fuere, imo etiam filiæ sequebantur, comis diffusis, quę cōsuetudo, vt ait *Plutarchus in problemate incipiente, quid est, quod filij, & in alio problemate inchoante, quid est, quod in luctu, apta est ad fletum excitandum,* & plures rationes de introductio-

ne similis cœrimoniæ post *Asinium*, & alios affert idem *Lauor. in d. tract. tit. 2. cap. 3. nu. 8 5.*

Mortui etiam digitum secabant, illumque condebant ad facienda funera inde Vespilones, qui eum abluerant, & regerant ad Cænotaphium corpus deferebant, & qui proximior Consanguineus, & Amicus erat è rogo aduersus procellam accensam emittebat, & ignem accendebat; & in vsu erat Senioribus, dum ferebatur tibijs, & tuba canere, vt affirmat *Macrobius in somnis Scipionis lib. 2. cap. 3.* Dicēs, antiquos sibimet persuasisse animas, cū à corporis ligamine solutæ essent, rursus ad musicæ dulcedinem nempè ad cœlos redire.

Circumferri etiam posset illud tuba canere, comitando mortuum ad sepulchrum, esse signum, vt audientes ad cęlestia desideria erigantur semetipsos, mortales, & momentaneos agnoscant; Ideò, vbi Deus imperat, primo die septimi mensis tubarum memoria solemnitatem fieri, Theologi interpretantur, aliud non esse, nisi quod debeamus voces Angelicas animaduertere, & Apostolorum concionationes memorię tenere, nam iuxta tubas cęlestes existunt, & eorum sonitus per omnes terræ fines exiuit, & exibit, vt in *Psalm. 18.* & hoc modo in mensis initio tuba cantamus, & in Psal-

mis

mis cum Deo gaudio gestimus; Tibiæ pariter sacra significaut, & pro mortuorum animabus Deo preces effundere, quasi per ipsas mortuos innuerent Deum adesse, veluti fit hodie campanarum sonitu; Et dum corpus erat vstum, quod ab antiquis truncus dicebatur, ipsi cine-
2 res, atque ossa colligebant, & in vase condebant, quæ agnoscebantur, quamuis vna cum lignis vsta fuissent; nam veteres cuiusdam Indiarum lini tela vtebantur, quod à *Plinio* viuum vocatum fuit, & à *Græcis* asbertinum, cuius tela minimè ardebat, nec in igne consumebatur, *Plinius* enim litteris commendat huius lini mappas vidisse, quæ nunquã vrebant, vnde illis in vsu erat è similibus telis funebres componere vestes, quæ corporis vsti cineres ab alijs segregabant, & antiqui vtebantur, veluti cum viuo lino; faciebant igitur lapidem Amiantum capere, & telas texere, vt in eis corpora voluerentur, quæ vrere debebant, & hæc lapis, vt ipse in *descriptione Cipri* affirmat, ibi iacet, & ea linum ipsum tam percutiebant, & macerabant, vt adiectis alijs diligentijs in telam reducebant, & ex illa saccos, atq; vestes componebant, in quibus corpus mortuum benè, ac optimè suebant, & inuoluebant, & postea in illis ponebãt, vt arderet, & tela ex hac
la-

lapide contexta, & cũ hac qualitate nunquam in igne consumatur, sed cum super ignem manet, magis albescit, & absque macula restat, prout anno 1566. *Hector Podachatarus*, Eques Cipriotus, expertus fuit; in hac igitur tela, si corpus mortuum esset inclusum, seruabantur cineres, quæ à proximioribus consanguineis, & amicis colligebantur, & in vase condebantur, & postea aliquis cõsanguineus orationem funebrem recitabat, & deinde quędam mulier Persica vocata, cui soluebantur nummi, vt lacrymis ora rigaret, & ad alios similes eff. ctus toto organo hoc verbum (ilua) dicebat, quod innuere volebat, prout si nos diceremus, ad te spectat proficisci, & ita in sepulchro cineres ponebant, & inde dicebant, Vale, Vale, Vale.

Numa Pompilius iussit suum corpus non vri, & ideo Hæredes duo sepulchra è lapide subtus Ianniculum fecerunt, in vno, quorum corpus posuerunt, in altero verò libros sacros, quos scripserat; vnde post quadringentos annos inuenti fuere, vt supra diximus, & ita corpora Romanorum mortua maximo apparatu
5 Romani humare cœperunt: Vespilones enim dicebantur, qui sepeliebant, eo quod tempore vespertino extra domum mortuos ducebant, fumalibus accensis, vt hodie seruatur. Refert

idem

idem *Plinius in suæ historiæ naturalis libro trigesimo quinto*, Marcum Varonem, secundum Pithagoræ disciplinam, voluisse sepulchrum suũ fieri è Vasibus terræ coctæ, & in ipsis voluisse humari inter quisquilias myrthi, oleæ, & populi nigræ, scriptum tamen legimus. Cleopatram in Mausoleum se recepisse, quia ita Regum sepulchra vocantur, vt dixi cap. 3.
4 ibi .n. ipsa induta, veluti suus mos erat maximo ornamẽtò, se posuit in sepulchrum odoribus plenum apud suum Antonium, & cum Angues accesserint venis, quasi ibi dormiens, sibimet necem dedit, *Suetonius Tranquillus in Nerone Claudio* asserit in eius monumento solium porphiritici marmoris circumseptũ esse lapide Thario, scribit etiam idem *Plutarchus in Institutionibus laconicis*, & *in Licurgo Sparta*, corpora mortua inter folias oleæ humari, vnde *Pithagoras* hanc consuetudinem didicit, quando in Lacedæmoniam se recipit ad percipienda Ligurgi iura.

Romani etiam alio more vtebantur, nam coronabãt sepulchra sertis Rosis, & Myrthis, & spargebant flores, & frondes, vt hodie asseritur apparere in Tabellis antiquis Comi in Tẽplo S. Benedicti, Mediolani apud Ianuam Vercelli in prima Porti S. Ambrosij, & alibi.

5 Romani etiam habebant in vſu ſuper ſepulchra, vbi clauſa iacebant corpora mortua curare, vt inciderentur memoriæ, quæ veluti noſtro more indicabant nomen, cognomen familiæ, & præcipuum mortui tribunatum, Magiſtratus, & dignitates, quas conſecutus erat, & cætera iuncta, quod & ſeruabatur de iure diuino, vt *de ſepulchro Rachel in Geneſi cap. 35. nu. 20.* & *de ſepulchro Aſe* habetur in *lib. 2. Paralipomenon c. 16. in fine*, & de his etiam videri poteſt penes *Porchachum de Caſtilione*, vbi de antiquorum recentiorum funerum cæremonijs in libro Italica lingua conſcripto, cum Imaginibus in forma Dialoghi verba fecit, & nouiſſimè apud ipſum *Iul. Lauor. de priſco, & recenti funeran. more tit. 2. c. 1. nu. 35. & plurib. ſeq* qui & alios mores diuerſorũ aliorum populorum in ſepeliendis defunctis deſcribit.

6 Antiquitus etiam lucernæ ardẽtes retinebantur in ſepulchris, vt refert *Ludouicus Viues* in tract. *D. Auguſtini* ſuper *vigeſimo lib. de Ciuitate Dei*, ſic loquens, *repertum eſt ſepulchrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna cõdita ibi, vt manifeſtè ex Inſcriptione apparebat ſupra Milleſimum, & quingenteſimum annum, quæ quidem inter manus admotas confricata, ſtatim abijt in tenuiſſimum puluerem,* quod & nouiſſimè dictum

fuit

fuit de alia ſimili lucerna in partibus Infidelium reperta.

7 Legimus etiã Maumethum poſitum fuiſſe in ſepulchro ferreo, quod ſtat in aere inter montes virtute Magnetis circumpoſiti, & dicitur, quod non poteſt videri, niſi per vnum foramen, & Maumethani ſupponunt, quod ſi quis intus reſpiciat, ſtatim oculos perdat, eo quod indecens ſit eo oculo aliud videre, ita poſt *Card. & Vitalinum in clem. 1. de Iud.* atteſtatur nouiſſimè *Scaccia in tract. de re Iud. gloſ. 1. q. 1. nu. 33.* dicens ſibi videri difficillimum, quod ſepulchrum ferreum in aere conſiſtens virtute magnetis ſuſtineatur, & vt ab eo videri poteſt multa ad propoſitum adducens, & valde reprobans perfidam, & execrabilem Maumethi mentionem.

SVMMARIVM.

Vendentes, & efferentes lapides, & epitaphia mortuorum, committunt crimen ſepulchri violati, niſi agatur de ſepulchris hoſtium, nu. 1.

Qui violat defunctorum ſepulchra, offendit viuos, & mortuos, nu. 2.


Et committit furtum, & contra eum datur actio popularis, nu. 3.

Habens Ius sepulturæ, potest probibere alijs ne in eodem loco sepeliantur, nu. 4.

Et si sepeliantur, possunt tolli, aut pretium loci debet præstari, nu. 5.

Ius sepulchri est impræscriptibile, nu. 6.

CAPVT VIII.



Apis ad sepulturam deputatus nō potest vendi, nisi ab vna Ecclesia alteri Ecclesiæ, *S. Thomas 2.2. art. 4. Felin.* & alij relati per *Mattheum Mathesilanum singul.*
1 *75. nu. 9* & si sepulchrorum, & sepultorum saxa, epitaphia, columnæ, statuæ, aut aliquæ sepulchrales imagines efferantur, id facientes crimen sepulchri violati committere dicũtur, *Odofred. in rub. C. de sepulch. violato. Decian. in tract. crimin. lib. 6. c. 42. 43. & 44. Addentes ad Clarum in praxi crimin. q. 68. nu. 140. Lauor. de prisco, & recenti funer. more tit. 2. cap. 7. nu. 17.* & non solum puniuntur, sed tenentur ad restitutionem rerum ablatarum illius sepulti, seu sepultorum posteris suis, id tamen fallit in sepulchris hostiũ, *l. sepulchra hostium ff. eod.* vbi disponitur, quod lapides sublati possint in quemlibet vsum conuerti, & ibi id affirmant

Al-

2 *Alberic. & cæteri.* Qui enim violat mortuorum ſepulchra, duplex crimen committit, primò offendit viuos, ſecundò mortuos, *Odofr. in l. qui ſepulchra C. eodem. Iodoc. in praxi crimin. in tit. de violato ſepulchro.* Mulctaq; erit centum aureorum de Iure ciuili, ſed de Iure canonico fuit ſublata, vt in *c. fraternitatum, ext. de ſepultur.* tamen lapides, & ſaxa è ſepulchris efferentes committere furtum, affirmant *Beluiſ. in praxi in tit. de furtis, & latronibus. Decian. in tract. crimin. lib. 6. cap. 39. nu. 36. Farinac. q. 157. nu. 11.* & dari actionem popularem in hoc caſu probant *textus in l. 3. in principio ff. de ſepulchro violato, & in l. ſi quis id quod ff. de iuriſd. omn.*
3 *Iud.* Vnde quilibet de populo cenſetur eſſe procuraror *Tiraquel. in tract. res inter alios actas &c. limitat. 26.* & dari actionem in factum, & competere interdictum de mortuo inferendo affirmauit *Flor. de Sancto Petro in l. oſſa, §. non ſolum ff. de relig. & ſumpt. fun. nu. 2.* & poſt alios tenuit *Sicard. in l. accedamus nu. 2. C. eodem.*

4 Et licet quis non poſſit habere Dominium ſepulturæ quoad proprietatem, datur tamen quoddam Ius circa vſum, nempè Ius humationis, & prohibēdi alijs, ne in eodem loco ſepeliantur, *Io. And. & alij in c. abolendæ ex. de ſepult. Rota Bonon. in ſcelectis deciſ. 79. nu. 8. Beltramin.*

poſt

post alios ad decis. 145. Greg. XV. in princ. Sepulchrum .n. habetur tãquam hospitium, *Grilen-*
5 *zon. post alios cons. 154. nu. 8.* Si ergo quis vellet inferre mortuum in alienum sepulchrum tolli debet, aut loci pretiũ quis præstare cogitur, *Borrel. contr. 25. n. 45. Grilenzon. d. cons. 154. num. 13.* Iustum ideo non facit, qui in locum, cuius vsusfructus est alienns mortuum infert, *l. sunt personæ ff. de relig. & sumpt. fun. §. religiosum Inst. de rerum diuis.* Non est igitur mirum, si sacri Imperatores edicto admonuerunt, ne iusti sepulturæ traditum corpus inquietetur, *Rebuff. in l. Iusta interpretatio §. sepulchrũ iustum,*
6 *ff. de verb. signif.* taleq; ius imperscriptibile esse dixit *idem Florianus de S. Petro* post alios *in l. longa nu. 1. ff. de mortuo inferendo, & sepulchro ædificando,* nam licet sepelire mortuum, & fodere fossam non sit quid spirituale, est tamen ad spirituale ordinatũ, *Euerard. post alios cons. 30. num. 7.*

SVMMARIVM.

REstitutio rei alienæ per defunctum debitæ, non prodest illius animæ, nu. 1.

Illæ apparitiones, quæ aliquando dicuntur interuenire circa restitutionem, non petunt resti-

ſtitutionem, vt reſtitutionem, ſed vt eleemoſinam, nu. 2.

Tria ſuffragiorum genera à ſacris Scriptoribus numerantur, Oratio ſcilicet, Sacrificium Miſſæ, & Eleemoſina, nu. 3.

CAPVT IX.



Vltoties audiui controuerti, an reſtitutio rei alienæ proſit defunctis, aliquando etiam fuit
1 dictum animas apparere, vt pro ipſis fiat reſtitutio de ijs, quæ ipſi non potuerunt reſtituere, aut fuerũt obliti, ſed huic quæſtioni reſpondet *Sotus in 4. diſtin. 45. quæſt. 2. art. 3.* dicens huiuſmodi reſtitutionem nõ iuuare, ſi fiat, nec obeſſe defuncto, ſi non fiat, nam Deus non punit, niſi pro culpa propria in hac vita contracta, vel enim defunctus peccauit non reſtituendo, vel non peccauit; ſi non peccauit, quia fortè non potuit, aut bona fide poſſedit, nõ venit puniendus; ſi peccauit, punietur pro pœna negligẽtiæ illius in Purgatorio, ſed poſtquam debitas pęnas dederit ſaluabitur, ſiue res reſtituatur, ſiue non, ille enim iam eſt factus imporẽs ſimpliciter ad reſtituendum, neq; ſalus eius debet

bet pendere ab alterius voluntate, alioquin anima posset semper remanere in Purgatorio, si hæres nunquã restitueret; quare si restitutio possit fieri,& non fiat negligentia hęredis, peccabit hæres, nõ tamen nocebit animæ defuncti; si verò fiat nihil animæ illi proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpa. Satisfactio enim est opus bonum pœnale, pęnale autem est dare suum, non restituere alie-
2 num;& illæ apparitiones forsan sunt nõ quod animæ petãt restitutionem, vt restitutionem, sed vt eleemosinam, vt per *Sot. loco cit.* & post *Bellarmin. lib. 2. tom. 1. c. 16. de Purgatorio. Lauor. de recenti, & prisco funerandi more tit. 2. cap. 15. nu. 158.* tria enim suffragiorum genera pro mortuis à sacris Scriptoribus numerãtur,
3 Oratio .s. Sacrificium Missæ, & Eleemosina, aditis etiam operis pœnalibus,& Indulgẽtijs, quæ continentur sub nomine Orationis. De oratione loquitur *Diuus Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 4. ibi nõ sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum.* De Missa probatur ex *Diuo Chrisostomo homil. 64. ad Populũ*, ibi, *non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim inde multum illis contingere lucrum.* Idem etiam habetur *ex Conc.*

Trid.

Trid. sess. 25. c. 4. de reform. De eleemosynis loquitur idē *Chrisost. hom. 4. in 1. Pauli ad Corint.* ibi: *Iuuetur mortuis nō lacrimis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.* De omnibus supradictis suffragijs ita testatur *Angel. apud Bedā sup. Histor. 13.* ibi, *Multos, preces viuentium, & eleemosynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Missarū, vt ante diem Iudicij liberentur, iuuant.* De eisdem etiam loquitur *Diuus August. serm. 32. de verb. Apostol.* ibi: *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis non est dubium mortuis adiuuari.*

Ex quibus clarè patet inter suffragia locum non habere restitutionem, ac perinde nō posse suffragari defunctis, si quidem nec oratio est, nec sacrificium, nec eleemosyna, nec aliqua alia pœnalitas, vt ex se, & ex dictis colligi potest.

SVMMARIVM.

IN sepeliendis defunctis seruādus est modus honestus sine ambitione, num. 1.

Nec eos iuuat pompa funebris, num. 2. Declara vt num. 6.

Expensa in sepeliendis mortuis est magis priuilegiata, quam si esset occasione dotis, num. 3.

Et expendens debet se declarare, ne videatur expensa facta causa pietatis, num. 4.

Valet statutum prohibens pompam funeris, num. 5.

Testatori licet declarare corpus suum sepeliri veste Capuccinea, aut alterius Religionis, num. 7.

Et hæres contrafaciens non incurrit in pœnam priuationis impositæ à Testatore in casu contrafaciendi, num. 8.

CAPVT X.



Amnanda est expensa, quæ ambi-
1 tione hominum fit in funeribus, eo quod modus honestus est seruandus, *Durantes de arte testandi tit. de sepulturis, cautela 5. num. 1.* non ideo erit mirandum, si *Diuus August. lib. 1. cap. 12. de Ciuit. Dei*, eos diuites, qui magnos faciunt sumptus reprehēdit, dicens, exequia-
2 rum pompā magis viuorum esse solatia, quam mortuorum subsidia; Videmus enim non dari repetitionem, si ille, qui funeris curam gerit, immoderatos fumptus faciat, *glos. in l. si quis, §. sumptus, ff. de relig. & sumpt. fun.* & si funeris
3 impensa sit magis priuilegiata, quā aliud creditum, *l. pen. ff. eod.* imò etiam si sit creditum Dotis, *l. 1. ff. solut. matr.* & ille, qui sine man-

dato

dato Testatoris, siue hæredis expendit in fu-
4 nere, debet se declarare, nam potest dubitari, an id fecerit ex causa pietatis, *l. & si quis §. idē labeo, eod. tit. de relig. & sumpt. fun.* & idcircò
5 valere statutū factū à Principe, prohibēs pompā funeris, vt de vestibus lugubribus, de pannis nigri coloris, ne mansiones parentur pannis nigris, & de alijs externis solemnitatibus, quæ nullam habent relationem ad cultū diuinū, & ex quibus nihil vtilitatis minuitur Ecclesijs, atq; Clericis, dixerunt *Felin. in c. Eccl. S. Mariæ de cōst. n. 12. Marta de iurisd. par. 4. cent. 1. casu 54. nu. 467. Nald. in sum. in ver. Statutū, n. 2. Antonin. Diana in tract. de immun. Eccl. re. sol. 64.* Videtur tamen talem pompam nō esse damnandam, cum prosit animabus defunctorum saltem per accidēs, eo quod homines per
6 talia excitantur ad compatiēdum, & per consequens ad orandum pro illis, & Ecclesiæ decorantur, *c. defunctorum 13. q. 2.* & fuisse seruatas solemnitates, & congregatū populum, videtur permissum, vt in *Sepultura Samuelis fuit seruatum 1. Reg. c. 25. in princ.* & de Domino nostro *IESV Christo* habetur penes *Io. cap. 19.* vbi Nicodemus legitur attulisse mixturam Myrrhæ, & Aloes, quasi libras centum, & ex hoc ab Euangelistis commendatum, ipsumq;

Dominum nostrum in *Euang. Matthei c. 26. & Marci c. 14. dixisse, Quid molesti estis huic mulieri, opus enim bonum operata est in me, nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis, mittens enim hæc vnguentum hoc in Corpus meum ad sepeliendum me fecit*, & Romanos pompa funebri fuisse vsos, dixi *Cap. 7.*

Solent enim Testatores in hac nostra Ciui-
7 tate Bononię iubere se sepeliri habitu Capuccineo, seu alterius Religionis in alia Ecclesia alterius Ordinis, & licere affirmat *glos. in c. dudum, de sepult.* sed habitus ille debet haberi de licentia Superiorum illius Religionis, cuius habitus est assumendus, mortuusq; est in feretro tali casu collocandus, absq; alijs pomposis ornamentis, vt in *Bulla particulari Sixti Quarti*, de qua attestatur *Lauor. de prisc. & recenti funer. more tit. 2. cap. 1. nu. 112.*

Et si Testator mandauerit corpus suum se-
8 peliri in vna storea sine pannis, & cum vna candela solum, & aliter facienti hęredi, imposuerit pœnam priuationis, non per hoc si defunctum honorificè secundum statum suum fecerit sepelire, priuabitur hæreditate, *l. seruo, §. fin. ff. de leg. 1. Paul. Castrens. in l. quidam in suo, ff. de condit. instit. num. 3.* & idem erit, si defunctus non sepeliatur in Ecclesia, in qua

man-

mandauit, *Alba cons. 48. n. 6.* eo quod iste actus non vertitur in contrauentionem, sed in omissionem.

DE CAPELLIS.

SVMMARIVM.

Capella quid sit, & vnde dicatur, nu. 1.

Non .n. vendi poterit propter debita construentis, nu. 2.

Religiosi non possunt Capellas auferre ab eis, quibus concesserunt, nu. 3.

Proijciẽtes ossa Cadauerum primorum fundatorum sepulturæ, incidunt in censuras, quæ incurrũtur per extumulantes ossa fidelium è sepulchris, n. 4.

Insignia primi fundatoris non sunt delenda è sepulchris, nu. 5.

Arma, & Insignia denotant dominium, nu. 6.

Conseruant memoriam familiarum, nu. 7.

Quando concessum fuit sepulchrum in Ecclesia, licitum est fieri facere sepulturam honorabilem cum statuis, & figuris honorificis, nu. 8.

Per memoriã conseruatur dignitas Agnationis, n. 9.

Ius patronatus probatur ex Inscriptionibus antiquis nu. 10.

Non licet Rectori ædificando impedire prospectum

Capellæ, & memoriam defunctorum, nu. 11.

De necessitate non requiritur dotatio Capellæ, sed sufficit constructio, nu. 12.

Cuilibet licet pingi facere Crucifixum, seu aliquid aliud venerabile in Ecclesia ad ornamentum, nu. 13.

Aliud est, quod fiat noua reædificatio ex totali ruina, aliud est, quod fiat ex materia veteri, nam tunc primus patronus remanet patronus, n. 14.

Vel saltem erit insolidum cum reædificatore, nu. 15.

CAP. XI.

1 
Apella appellabatur Ecclesia minor, eo quod in expeditionibus, & in Tentorijs fiebant Capellæ de pellibus Caprarum supertectæ, in quibus Missæ celebrabantur, vel melius dicebatur tuguriū pellibus Caprarum tectum, & inde Capellæ nomen traxerūt, vnde etiam Custodes, & Ministri Capellani dicuntur, *glosa in c. concedimus de consecrat. distinctione 1.* & ibi *Turrecremata n. 4.* & melius *in cap. Ecclesia ead. distinctione 1. n. 10. Paulus de Cittadinis in tract. de Iure patronat. in 3. parte n. 43.* vel melius dicitur Ecclesia, quasi capiēs laos, idest populum, vel capiens laudem, vel Ca-

pannam, quaſi paucos capiat, vt ibi *in d.c.concedimus* affirmat *Archidiaconus n. 2.* vel potius dicitur locus in Eccleſia priuatus, qui debet eſſe Deo conſecratus, & tamquam acceſſoria dependet ab Eccleſia, in qua eſt, & vti acceſſoria, cum Eccleſia tranſit, & conſtructione, vel dotatione tali Capellæ acquiritur Ius patronatus, idem *Paulus de Cittadinis de Iure patronatus 3. parte nu. 43. Borell. in controuerſ. 25. nu. 2. Lambertinus de Iure patronat. lib. 1. 6. art. 11. quæſt. princ. 1. par. n. 2.* Huiuſmodi etiã Capella poteſt fieri in Domo priuata, *Innoc. in c. ex litteris, extra de Iure patronatus*, requiritur tamen auctoritas Epiſcopi, vt affirmat *Lambertinus loco prædicto*, ſimiliſq; Capella ſi in Ec-
2 cleſia fiat pro debito conſtruẽtis nequaquam vendi poterit, ita tenuit *Bart. in l. Aufidius, ff. de priuil. credit.* Hodie igitur Capellæ dicuntur hæ, quæ fiunt in Eccleſijs, & conceduntur à Religioſis, appellãturq; Eccleſiæ partes, ita poſt *Rotam Bertachin. in repert. in verb. Eccleſia.* & quoad ſepulturam reputantur tamquam hoſpitiũ, *Petrus de Vbaldis de Canonica Epiſcop. & parochiali in cap. decimo Canonicæ parochialis, n. 5. Medices in tract. de ſepulturis p. 1. quæſt. 18. nu. 2. Angel. Caluaſ. in verbo ſepultura nu. 41. verſ. Vtrum illi, qui habent Capellas, Armil. in verbo ſe-

bo sepultura nu. 24. & nouissimè *Grilēzonius cons.*
3 *114. nu. 13.* Non .n. postea dd. Religiosi, aut successores poterunt eas auferre, nec minus vsum sepulchrorum, quoniam illud, quod nostrum est à nobis auferri nō potest sine nostra voluntate, *l. id quod nostrum ff. de reg. Iur.* & ad sacietatem in terminis post longā disputationem *Petr. de Vbal. d. c. 10. nu. 4. Medic. in d. p. 1. quaest. 9. nu 4. Paul. Layman. in Morali Theolog. in verbo sepultura vers. si quispiam pag. 782. Caluas. & Armilla* locis supra citatis. Quod eo magis procedere debet, si in Capellis concessis laici fecerunt sepulchrū pro se, & suis de Domo, & quorum Insignia nequaquam ex eis deleri possunt, *Bart. in l qui liberalitate ff. de oper. publ.* dicēs notandū esse cōtra Fratres, vel Religiosos, qui Capellam aliquorū defunctorum tribuūt nomini alterius, eo quod facere non possunt, *Cepol. in tit. de seruit. vrb. prædiorum cap. 71. n. 10. Lambert. in d. tract. de iure patron. lib. 3 4. art. quintæ quæstionis princip. in fine,* vbi sic ait, *vidi*
4 *sæpius, & turbatus sum ossa Cadauerum primorum fundatorum, sine aliqua religione è sepulchris proijci,* & ibi docet tales proijcientes censuras incurrere, quæ & incurruntur per extumulantes ossa fidelium ab eorum sepulchris. Et quādo Testator iussisset Capellam, seu Ec-

cleſiã conſtrui ab Hæredibus Teſtatoris conſtructam fuiſſe præſumitur, *Alex. poſt alios in l. cum ſeruus nu. 4. ff. de verb. oblig. Mantica de tacitis, & ambiguis lib. 12. tit. 16. nu. 3.* & ha-
5 betur *in deciſ. 598. p. 1. diuerſ. num. 6.* Iuſtiſſimum ergo eſt, vt inſignia primi fundatoris in eius memoriam non amoueantur, vt de communi approbauit poſt *Anchar. Medices in d. tract. de ſepulturis p. 1. quæſt. 16. nu. 38.* vſq; ad finem, exclamans & ipſe cum alijs contra eos, qui remouẽt Inſignia Nobilium, & concedunt Ignobilibus, & vltimo loco *Giouagn. conſ. 8. lib. 2. nu. 22.* dicens id prohibitum eſſe Eccleſiarum Rectoribus. Quando igitur illis de domo fuit conceſſum Inſignia depicta haberi in Eccleſia, ſeu Capella, ſi amoueantur eis fit iniuria, *Roman. ſing. 480. Menoch. in tract. de præſumpt. præſumpt. 59. n. 2. lib. 2. Barboſ. de officio, & poteſt. Parochi cap. 26. num. 15. Lauor. de priſco, & recenti funerandi more tit. 2. cap. 18. nu. 19.* dicens, quod non ſolum ibi debent permanere ad familiam dignoſcendam, & mortui virtutes commemorandas, ſed vt cum amici, & conſanguinei inſpexerint preces apud Deum eius nomine effundant, *Menoch. de recuper. poſſeſſ. remed. 15. nu. 48. quæſt. 7. in fine. Gratian. in diſcept. c. 210. nu. 32. 44.*

6 & 49. vbi plures allegantur. Probant etiam dominium, *Butr.conf.6.nu.13. Cassan.de gloria Mundi p.1.quæst.55. Seraphin.decis.652.nu.2.*
7 & per Arma,& Insignia familiarum,& agnationum memoriam conseruari dixerunt *Molina post plures de primogen. lib. 2. cap. 14. num. 5. Fusar. cons. 175. nu. 10. Rota penes Mart. And.*
8 *decis. 5. nu. 11.* Quando igitur est concessum sepulchrum in Ecclesia, licitũ est ei, cui concessum fuit facere sepulturam honorabilem, cum statuis,& figuris honorificis, & si in concessione nõ fuerit expressum, *Odofr. & Castr. in l. statuas, C. de relig. & sumpt. fun.* eo quod
9 per memoriam cõseruetur dignitas agnationis, ex tex. *in l.1. §. sed & si seruus, ff. de ventr. insp. Io. de Anania cons. 86. nu. 2.* & ibi *Bolognin. in addit. nu. 3.* dicens id in puncto procedere ex aspectu ædificiorum Templorum Dei, *Rustic. in tract. an, & quando liberi in condit. positi sint vocati lib. 2. cap. 6. nu. 2.* & nouissimè *Baptista Chiarlinus in contr. forensibus cap. 37. nu. 17.*
10 & ex Inscriptionibus antiquis probatur Ius patronatus, *glos. in c. cum causam, de probat. cap. ad audientiam de præscript. Lambert. de Iure patr. lib. 2. p. 2. quæst. 10. art. 9. Medic. d. quæst. 16. nu. 28. Mart. And. d. decis. 5. nu. 11.* non ergo
11 erit permissum Rectori, & alijs ædificando im-

impedire prospectum Capellæ memoriam Defunctorum, & Arma abradere, *Genuens. in praxi Archiepiscopali cap. 109. nu. 2. & 3.* Videmus .n. in Statuis, & Epithaphijs inscribi dignitates, honores, & excellentias, & prodigiosas Defunctorũ actiones, ita aduertit *Frãc. Porcachus de funeralibus antiquis cap. 7.* vbi multa epitaphia memorat, habetur penes Ezechielem cap. 26. nu. 11. ibi: *Statuæ tuæ nobiles in terram corruent. Cicero in principio 2. orationis de lege agraria,* quem refert *Tiraq. de nobilit. cap. 6. nu. 15.* nec omnibus Ius Statuarum, & Imaginum competebat, sed his tantum, qui Magistratum meruissent, *Tiraquel.* loco quo supra, & videtur in terminis *tex. in l. si statua, ff. de iniur. & famosis libellis,* & ibi *glos. & DD. & in l. Iniuriarum la prima, §. si quis in honorib. ff. eod.* dicentes dari contra amouentes iniur.
12 actionem; Et licet Capella, & Altare non esset dotatum, sufficeret, si Ecclesia esset dotata, *Io. de Anan. cons. 24.* & ibi *Bologn. nu. 7. Roch. de Curte de Iure patr. in verbo construxit, nu. 11.* dicentes, & in dictis Capellis, & Altaribus procedere regulam, quem effici Patronum ex fundatione, & constructione, siue dotatione, cum dotationem non requirant, & sine dote ædificari possint, *Lambert. de Iure pa-*

tron. lib. 1. 3. principali quæst. primæ partis nu. 5.
13 Nec possunt Monaci, & alij Religiosi impedire, quin in Ecclesia reponantur, eo quod cuilibet permittitur de nouo pingi facere, nedum Sanctissimum Crucifixũ, sed & aliam venerabilem picturam, cum id concernat ornamentum, & non Ecclesiæ deformitatem, *Cepol. de seruit. vrban. præd. cap. 71. nu. 6.*

Et licet in Ecclesia patronata, destructo penitus ædificio, pereat Ius patronatus, *Host. in c. quia Monasterium, de relig. domibus, Io. And. post Tancred. Gofred. Innoc. Philippum, & alios in*
14 *cap. 3. de Iure patronat.* Si agatur de Iure patronat. ex constructione, id tamen declaratur, quando fit noua reædificatio ex totali ruina Ecclesiæ, non autem, quando non fuit penitus distructa, *Ias. in l. Ius ciuile nu. 18. ff. de Iust. & Iure*, & quando ex eadem materia reædificatur ex distinctione, quam cum alijs facit, *idem Lambertin. de Iure patr. 6. art. 6. quæst. princip. 1. par. lib. 1. nu. 11. & 19.* Requiritur enim de æquitate in omni reædificatione, & refectione Ecclesiæ, vt patronus antiquus moneatur, & alteri præferatur, *Io. And. in c. quoniam, de Iure patron. in fine. Rochus relat. à Lambert. ibi nu. 9.* dicens, nec esse distinguendus, an primus Patronus fuerit ex fundatione,

con-

constructione, vel dotatione, subiungẽs *Lambertinus*, nedum id equum esse, sed necessarium, & ibi allegat multas rationes incõuincibiles, tantò magis, quando in reædificatione remanserunt fundamenta, & cęmẽta prouenientia ab ipso primo constructore, necessariumque esse dixit ex summa *directorij Iuris n. 20.* idq; etiã comprobauit *in 4. art. nu. 7. & 9.* dicens contrariam opinionem procedere, quando Ecclesia vetus est ita diruta, itaut nihil remaneat ad nouum ædificiũ congruens, tũc.n. primus Patronus ratione cõstructionis non remanebit Dominus. Plures deniq; poterunt esse Patroni, puta si vnus fundauit, alter construxit, & alter dotauit, *glos. in c. piæ mentis 16. quæst. 7. DD. in rub. ext. de Iure patr.* plures etiam poterunt effici Patroni ex vna causa, puta, quia plures dederunt fundum, plures construxerunt, vel plures dotarunt, vt ait *Abb. in ead. rub.* & idcircò si vnus dedit pręparamenta in constructione, & alter opera, omnes erunt insolidum Patroni, *Io. And. in c. nobis in 2. col. de Iure patr. Card. in vlt. col. principij*, hoc stante in reædificando Ecclesiam, primus Patronus, qui illam ædificauit, seu hæredes, non ne dabunt lapides communes, seu marmoreos, & alia cæmenta, quamuis

Calx ſit conſumpta, & debeat prouideri de noua calce, *tex. eſt in l. qui vſumfructum, ff. de vſufruct.* dabunturq; etiam forſan ligna, & forſan fundamenta ſubtus terram, nouus verò reædificator dabit reliquum, ſic ergo ex ſupradictis concluſionibus antiquus Patronus, ſeu hæredes ratione lapidū fundamentorum, forſan lignorum, & aliorum cæmentorum remanebit Patronus, prout erit reædificator ex cauſa conſtructionis. Ita igitur doctiſſimè confutatis contrarijs opinionibus diſtinxit, & ſuſtinuit idem *Lambertinus in d. 4. art. 6. quæſt. princip. nu. 9. lib. 1. primæ partis.*

SVMMARIVM.

AN Religioſi teneantur in Eccleſia renouata concedere Capellas laicis, qui habebant in Eccleſia veteri funditus demolitas, nu. 1.

Deſtructa Eccleſia, Cimiterium, Ius patronatus, & omne aliud Ius amittitur, nu. 2. declaratur n. 7.

Reficiens Eccleſiam penitus deſtructam, efficitur patronus Eccleſiæ refectæ, nu. 3.

Non debet impediri ampliatio, & honorificentia Eccleſiæ, n. 4.

In dubio Eccleſiæ fauen. eſt, nu. 5.

Renouatio Eccleſiæ debet fieri ſine præiudicio aliorum, n. 6.

Eſt

Est consideran. an Ecclesia fuerit demolita ex voluntate, an ex necessitate, n. 8.

Ecclesia destructa, & reædificata retinet eadem priuilegia, n. 9.

Et dicitur eadem, n. 10.

Non licet Prælato ædificare ad præiudiciū alterius, etiam ex causa sublimi, nu. 11.

Ecclesia debet esse cultrix iustitiæ non solum in se, sed & in alios, nu. 12.

Nec debet locupletari cum aliena iactura, nu. 13.

Et ei fauendum est in casibus dubijs in Iure expressis, & non aliter, ibi.

Ecclesia renouata non eget noua consecratione, nu. 14.

Ædificans cum aliena materia, tenetur ad restitutionem, nu. 15.

Et datur rei vendicatio, nu. 16.

Deus accipit oblationem eo modo, quo offertur, nu. 17.

Quilibet in traditione rei suæ potest apponere legem, nu. 18.

Quis non debet priuari sedilibus, & loco seden. in Ecclesia, nu. 19.

Ius sepeliendi differt à Iure patronatus, nu. 20.

CAP.

CAP. XII.

1 N Religiosi, qui concesserunt capellas in eorum Ecclesia laicis, & eamdem Ecclesiam funditus diruerunt, teneantur eisdem laicis in Ecclesia renouata Capellas cōcedere loco earum, quæ in Ecclesia veteri erant positæ, & lapides marmoreos epitafia, & statuas reponere, & prima facie videtur dicendū, quod non nam destructa
2 Ecclesia, Cimiteriū Ius patronatus, & omne aliud ius amittitur, *glos. in c. quoniam in quibusdam,* in verbo *fundatores in fine, ex. de Iure patr. Roch. in tract. de Iure patr. in* verbo *construxit*
3 *nu. 11.* Secundò, reficiens Ecclesiā funditus destructā dicitur de nouo facere, & efficitur patronus illius Ecclesiæ antiquis exclusis, *Ias. in l. Ius ciuile nu. 18. ff. de Iust. & Iure.* Tertiò,
4 si aliter esset, impediretur ampliatio, & honorificentia Ecclesiæ, quod non est permitten. *Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 12. nu. 7. Giurba*
5 *decis. 86. nu. 15. ad fin.* Quartò, in dubio fauen. est Ecclesiæ tex. est *in l. sunt personæ in fin. ff. de relig. & sumpt. fun.* Contrariū tamen de Iure verius est, nam Ecclesiæ renouatio, & restau-
6 ratio debet fieri sine præiudicio eorum, qui

in

in Ecclesia habebant Capellas, Statuas, & Insignia, eo quod renouata Ecclesia, debent & renouari Capellæ, cum Ecclesia noua in locum veteris subrogata debeat assumere naturam illius, & consequenter censetur facta sine prçiuditio aliorum, vt post *Host. & Petr. de Perusio tenuit Genuens. in praxi Archiepiscopali Neapolis cap. 91. nu. 12.* propè finem, *Ludouis. decis. 463. per totam*, vbi multas rationes, & auctoritates adducit.

7 Secũdò, illi Doct. qui loquuntur, vt per refectionẽ, seu renouationẽ amittatur Ius, quod quis habet in Capella, aut Ecclesia, loquũtur in casu, in quẽ extiterit necessitas renouandi, & ex tẽporis diuturnitate fuerit distructa, nõ aũt quãdo cessante necessitate Ecclesiæ reædificatur, quia tunc ad præiuditiũ primo Capellas, & Insignia habentium, non potest reædificari, *glos. in c. 1. ext. de noui oper. nunciat.* ibi, *& secundum Canones nulla Ecclesia in præiud. alterius est construenda*, *Abb.* qui alios tex. cõcordantes allegat *in cap. tua nos, vers. Nota secundò*
8 *Episcopum teneri, ext. de Eccl. ædif.* & sic distinguen. est, an ex volũtate, an ex necessitate fuerit Ecclesia antiqua demolita, in tantum, vt cessante necessitate, nõ possit ad præiuditium aliorum antiquam Ecclesiam, seu Capellam

distrui, *Ias. in d. l. Ius ciuile nu. 18. vers. Secus. Franch. decis. 223. nu. 6. Petr. de Vbald. de canonica Episcopali, & Parochiali q. 13. vers. Quoad secundam quaestionem, n. 33.* & sic aliud est, quod Ecclesia sit diruta de facto, vt reficeretur, & aliud est, quod sit diruta de Iure, nam primo casu omnia durant priuilegia, & concessiones, *Bart. Flor. de S. Petro,* & alij *in l. seruitutes, §. si sublatum, ff. de seruit. vrb. praed. Aret. in § sa-*
9 *crae nu. 10. Inst. de rerum diuisione.* & indistinctè Ecclesiam distructam, & postea reaedificatam retinere primęua Iura, priuilegia, & concessiones dixit *Alexand. post alios plures in l. inter stipulantem §. sacram, nu. 13. ff. de verb. obligat. & annotauit Bart. in d. § si sublatum,* & quod Ecclesia funditus distructa, & reaedifi-
10 cata dicatur eadem, post *Goffred.* dixit *idem Bart. in d. §. sacram, nu. 11. Decian. cons. 6. nu. 30. lib. 2. Borell. in summa decisionum tit. 2. de sacros. Eccl. nu. 46.* & locum remanere sacrum, dixit *Siluest. in sum.* in verbo *Ecclesia 2. nu. 7. Franch. d. decis. 223. vers. 3.* eo quod laicus non possit cogi ad nouā cōstru ctionem, & si valde vtilis sit, cum non sit praecisè moraliter necessaria, etiā quoad ampliationem Ecclesiae iam olim constructae, cum ad diuina Officia plures è plebe admittātur, & Reipublicae Christia-

nae,

ne,& cultui Religionis seruire potuit,propterea laudatur Augustus à *Suetonio cap. 56* quod forum Angustius fecerit, nec fuerit ausus ex-
11 torquere à possessoribus proprias domos, & sic non licebit Prælato Ius antiquum tollere laicis, nec posse ædificari, etiam ex causa sublimi ad præiuditium alterius, probat tex. *in l. si quando, C. de oper. publ. & ibi Bald. Salicet. & alij.*

Et ideo multi Religiosi decipiunt se prætendentes, quod Ecclesia, quæ auctrix, & cultrix iustitiæ esse dicitur, patiatur, quod dictæ Capellæ, & Insignia sub prætextu renouationis Ecclesię tolli, & respectiuè aboleri possint,
12 cũ id sit contra Iustitiam, *Bero. q. 19. nu. 2. Rimin. Iun. cons. 358. n. 261. & nu. 264.* & nõ solũ Ecclesia debet esse cultrix in se ipsam, verum etiam in alios, *Ruger. cons. 7. nu. 9. lib. 2. Surd. cons. 222. nu. 22. Tiraquel. de priuil. piæ causæ priuil. 100. vers. Horũ præcipua ratio. Medices in opusculo 4. nu. 3.* Et quãdo Ecclesię permitteretur non assignare nouas Capellas habentibus in antiqua, & diruta Ecclesia, quis .n. ignorat? quod locupletaretur cum aliena iactura, nam posset vti fundamentis, lapidibus, lignis, pi-
13 cturis, & ornamentis alienis, & prædicta alijs concedere, contra tex. in *c. suam ad nos ext. de*

pœnis, debet enim Ecclesia omnibus prodesse, & nemini nocere, *cap. denique 13. q. vlt. Asin. in l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer. Medices in d. opusc. 4. num. 31. Menoch. cons. 1280. nu. 26. & seq.* vbi docet, nec Ecclesię fauēdum esse, nisi in casibus dubijs expressis in Iure, & si vt diximus in pręcedenti capite, Ecclesia reædificata sit subiecta eidem patronatui, & succedat loco demolitę, *Host. & Ancbar. in cap. 3. ex. de Iure patr.* Imo talē reædificatam Ecclesiam non egere noua consecratione, di-
14 xerūt *Afflict. decis. 392. nu. 3. & ibi Vrsil. Io. de Silua de benef. quæst. 5. par. 1. nu. 167.* & notant *DD. in glos in cap. proposuisti, ext. de consecrat. Eccles. vel Altaris*, ex eadem ratione, quod semper sit eadem Ecclesia, sicut nauis in totū reparata *l. quod in rerum ff. de leg. 1.* & hęc est omnium *DD.* cōmunis opinio, vt confutatis ex aduerso tenentibus, docuit *Siluester in verbo consecratio 2. nu. 4.* facit etiā, quia Ecclesia non dicitur districta, quando remanet Prælatus, *Idem Petr. de Perusio de mutatione status Ecclesiarum cap. 3. nu. 10.* In hoc tamen non insisto, cum extent plures cōtradictores, vt per *Turrecrem. & alios in c. Ecclesiæ, de consecrat. dist. 1.* qui tamen distinguunt, vt penes eos videri potest, nemo etiam dubitabit, quod ædificās

cum

15 cum aliena materia tenetur ad restitutionem secundũ *Bart. in §. cũ in solo, Inst. de rer. diuis.* & affirmant *Sũmistæ,* inter quos *Siluest. in verbo Ecclesia 2. nu. 5.* & quãdo ob vtilitatem publicam quis priuari posset, debetur solutio iuxta æstimationẽ, vt post plures in terminis tenuit *Couar. var. resol. lib. 3. cap. 14.* & dari rei vendi-
16 cationẽ, probat tex. *in l. 1. C. de ann. except.* & affirmãt *Nicas. & alij in §. cũ in suo, Inst. de rer. diuis.*

Vanum ergo prętendũt illi Religiosi, qui putant ad libitum posse disponere de Capellis, Iconis, Picturis, Epitaphijs, & Ornamentis, *Lauor. de prisco, & recenti funerandi more tit. 2. cap. 11. nu. 38.* & sub prætextu, quod suffi-
17 ciat ea semel Deo fuisse oblata, nã Deus non accipit, nisi eo modo, quo oblatum est, & *cap. humanæ 22. quæst. 5.* si ergo in ædificando Ecclesiam, seu Capellam, Altare, seu sepulchrum fuerunt appositæ Statuæ, Epitafia, & Insignia eo modo, & cum tali qualitate, Capella, Icona, Picturæ, & similia fuerunt Deo oblata, eo modo debent perpetuo conseruari, & nõ licet eis auferre Capellam, Iconam, In-
18 signia, & marmoreas memorias, cum oblatio fuerit qualificata, & quilibet in traditione rei suæ potest pactũ, & cõditionem apponere, *cap. verum ext. de condit.* vbi *Ancar.* in principio

di-

dicens præcisa verba res ergo semel Ecclesiæ effecta, potest ab ea reuocari ex modo nō seruato, *& alij ibi* notant ex hac ratione, quia in traditione rei suę, quis potest apponere legē, & conditionē sibi benè visam per tex. in *l. traditionib. ff. de pactis*, & ea, quæ diximus nedum procedunt in Capellis, picturis, & alijs, sed &
19 in simplicibus sedilibus in Ecclesijs veteribus retentis, *Gratian. in discept. foren. cap. 110. n. 16.* vt de eo, qui solebat sedere ante constructionē Sacristiæ in Capella, & sedili, quod ibi habebat, nam constructa Sacristia noua, non debuit priuari sua sede ibi, & ideo sedem debere habere in dorso dictæ Capellæ, fuit decisum per sacram *Rotam decis. 378. parte 2. in recent. nu. 3. Giouagnonius cons. 8. lib. 2* qui loquitur ēt de amotione sepulchrorū, & Armorum, & loquitur, siue Ecclesia sit ampliata, siue distructa, & sic Bononiæ vidi semper seruatum, nec potuisse impediri translationem sepulturę cuiusdam priuati ante Altare maius, in loco, in quo prius existebat antequam Altare
20 deuastaretur, & Ecclesia ampliaretur, eo quia Ius sepeliendi differat à Iure patronatus, fuit decisum coram *Reu.mo Cy sio in Calagurit. 26. Iunij 1590.* & publicè interest, vt familiarum dignitas salua sit, *l. 1. §. publicè, ff. de ventre*

inspi-

inspiclen. Anchar. in cons. 356. in fin. Io. de Annania in cons. 86. & facit tex. in l. legatum in fine, ff. de administrat. rerum ad Ciuitatem pertinentium.

SVMMARIVM.

Polycretus duo fecit simulacra, & factum secundum Artis normam, fuit laudatum, & factum ad arbitrium plebis, fuit vituperatum, nu. 1.

Quæ differentia sit inter Statuam, Imaginem, & similitudinem, nu. 2 & 8.

Pagani antiquitus ex statua à se erecta prætendebant desumi signum eorum Deificationis, nu. 3.

Statua non potest erigi sine licentia Principis, nu. 4. nec omnibus competit, nu. 13.

In sepeliendis Viris deferebantur Imagines stucho confectæ maiorum, & aliorum de sanguine, nu. 5.

Statua aliquando seruit ad ignominiam, prout legitur de cedente bonis qui nudus ducebatur Romæ ad statuam Leonis percutiendam, nu. 6.

Sculpturæ beluarum aliquando in sepulchris apparent, nu. 7.

Statua Imperatorum, & aliorum famigeratorum Virorum, si à Ciuibus ponantur in Ciuitate, non

Ci-

Et ex post super columnas, nu. 40.
Et super Equis aliquando, nu. 41.

DE STATVIS.

CAP. XIII.

1 Olycletus Nobilis Statuarius duo simulacra fecit, vnum secũdum artis normam, alterum ad arbitrium plebis, cui nunc addens, nunc commutãs, nunc detrahens ad voluntatem inspicientium vnicuique gratificabatur, demum absoluto opere vtrumq; simulacrum videndum proposuit, & cum omnes illud, quod ex arte fuerat laboratum admirarentur, alterum verò vituperarent; At hoc Polycletus inquit, quid vituperatis à vestra arte profectum est, quod verò laudatur, ego meo ingenio feci, id refert *Pacianus in tract de probat. cap. 44. lib. 2. nu. 118.*
2 statua inquam dicitur corpus stans pro se formam hominum significans, vt corpus, Imago verò est quædam pictura scripta in tabulis, representans imaginem hominis, sed non ita vt statua, *Odofr. & alij in rub. C. de statuis.* Et quæ differentia sit inter Imaginem, & similitudi-

tudinem demonſtrat *Alberic. in eadem rub. C. eod. Azo. verò in ſumma eodem titulo* refert, quod per reſcripta concedebatur alicui aliquando erigere ſtatuam, vel imaginem in honorem ſuum, eo quod antiquitus Pagani
3 ex tali ſtatua à ſe erecta prætendebant deſumi ſignum eorum deificationis in futura vi-
4 ta, quare Principes iuſſerunt, ne quis ſine eorum licentia ſibi ſtatuam erigat, *Catiuncula de offitio Iudicis lib. 1. cap. 2. nu. 7.*

Seruabatur etiam, quod in ſepeliẽdis viris
5 Imagines ſtucho confectæ omnium maiorum ſuorum, & aliorum Illuſtrium de ſanguine ſuo virorum deferentur, & portarentur lectuli, & tot eſſent Imagines, quot lectuli, *Lauor. de priſco, & recenti funer. more tit. 2. cap. 3. nu. 6. & ſeq.* ſtatua enim aliquando fit ad honorificẽtiam, & memoriam meritorum aliquando fit,
6 vt ex ea ignominia inferatur, vt Romæ legitur ſeruatum; nam cedens bonis ducebatur ad ſtatuam leonis in capite ſcalarum Capitolij, & ibi nudus percutiebat lapidem, ita affirmat *Caſtr. in l. debitores, nu. 2. C. ex quib. cauſ. Infamia irrogatur*. Sculpturæ etiam beluarum aliquãdo in ſepulchris videntur puta aquila
7 fulmen vnguibus tenens auictum, vt de Miſeno ex *Virgilio in Aeneide* refert *idem Lauor. d.*

tract. tit. 2. cap. 18. nu. 11. & de ſimilibus ſta-
8 tuis, ſculpturis, Imaginibus, & differentijs in-
ter eas, & Inuentoribus ſcripſit *Franciſcus Al-
cinus in Fabrica Mundi nu. 824. & ſeq. fol. 110.*
hæ autem ſtatuæ Imperatorũ famigeratorum
9 Iuris conſultorum, Militum, Senatorum, & ſi-
milium, quamuis ponantur à Ciuibus in Ci-
uitate non Ciuium, ſed vniuerſitatis fiunt ſe-
cundũ *Trebatium in l. ſtatuas, ff. de acquir. rerum
domin.* & affirmat *Lambertinus in tract. de Iure
patron. art. 7. quæſt. principalis lib. 1. parte 1. nu.
15.* minuſq; tranſeunt ſi vniuerſitas vendatur
10 *Bart. in l. Aufidius, ff. de priuil. creditorum in
principio, Lambert. eodem tract. art. 11. quintæ
quæſtionis principalis ſecundæ partis, lib. 1. nu. 2.*
& ait *Cicero* ad Spurinam *libro epiſtol. quinto,*
Mire cupio ne nobiles noſtri nihil in domibus
ſuis pulchrum, niſi Imagines habeant, & ex
Ezechiele deſumitur *cap. 26. nu. 11.* ibi, *Statuæ
tuæ nobiles, Tiraquel. de nobilitate cap. 6. nu. 15.*
Et nõ ſolũ violatur ſepulchrũ, ſi quis de ſepul
chro auferat ſaxa, marmora, columnas, aliam-
ue materiã ex cauſa fabricãdi, *l. qui ſepulchra,
C. de ſepulchro viol.* lapidem moueat terrã, euer
tat ornamenta, quædã Triclinijs, ac portici-
11 bus inferat, *l. pergit audacia C. eod.* ſed & ille, qui
ſtatuam à ſepulchro extollit, *l. 2. ff. eod. vbi
gloſa*

glosa dixit diruentem teneri etiam ex interdicto, quod vi, aut clam; Id etiam nouissimè attestatur *Lauor. de prisco, & recenti funerandi*
12 *more tit. 2. cap. 7. nu. 17. & nu. 36.* statuæ .n. denotant virtutes, diuitias, scientiam, industriam, eloquentiam, & excellentiam, ita *Arist.* quem refert *Tiraquel. in tract. de nobilitate c. 4. nu. 43.* Ius igitur Imaginum, & statua-
13 rum non omnibus competit, sed his tantum, qui in Magistratu fuerunt, ideoq; *Tullius* non nisi ędilitate id Ius assecutus est, vt videri potest penes eum in *Verrem actione*, & ex eo expendit *Alciat. lib. 2. Parergon cap. 30.* in tantum, vt sint nobilitatis Iura propria, *Castr. in l. 1. C. de statuis, & imaginibus nu. 2.* & de his loquitur plenè idem *Tiraquel. in dicto tractatu de nobilit. cap. 6. nu. 14. & 15. & c. 20. nu. 150.* vbi plura more suo de his narrat, eo quod antiqui Romani in funere cuiusq; Nobilis solebant præferre maiorum, qui aliqua dignitate refulserunt Imagines, & eas deferebant, noui homines suas tantum Ignobiles nullas cum Ius imaginum signum sit nobilitatis, *Valerius Maximus l. 8. cap. 15. Idem Lauor. in d. tract. tit. 2. cap. 3. nu. 6. & apud Dionem lib. 56 in Augusto in funere ipsius,* & statuæ maiorum suorum delatæ fuerunt, id tamen hodie est vetitum, *La-*

uor.

uor. d. tit. 2. cap. 3. Et ij, qui confugiebant ad
14 statuas Imperatorum erant securi, eo quod nullus audebat eos tangere, *l. vnica, vbi Odofred. & alij, C. de his, qui ad statuas confugiũt.* Restaurus *Castaldus in tract. de Imperat. quæst.*
15 *96. num. 1.* Si tamen quis malitiosè, & sine causa confugeret ad Imperatoris statuam, vt inimicos iniuriaret, debet puniri, ita *Salicet.* & alij in *ead. l. vnica, Castald.* ibi, quod tamen ꝓcedit viuẽte illo Imperatore, vt ipse ibi declarat *nu. 5.* & quia Imago Rei non præsẽtat esse Rei, *l. 2. vbi Bal. & cæteri, C. de Iur. aur. annul c. perlatum, & cap. venerabiles, de consecrat.* facit etiam regula aliud esse tale, & aliud haberi pro tali; Quando enim Nabucdonosor Rex statuam auream, quam erexit altitudinis cubitorum sexaginta, latitudinis cubitorum sex per omnes prostratos in terram adorari præcepit, renuerunt tres pueri Sidrach, Misach, & Abdenago, qui prius in Iudęa Ananias, Milael, & Azarias vocabantur, & idcircò in fornacem ignis ardentis positi fuerunt,
16 vt penes *Danielem in cap. secundo.* vnde *Restaur.* dixit multum esse cogitandum circa istas statuas *loco prædicto nu. 7.* eo quod dicti tres pueri exemplum dederunt, vt Idolatria euitetur, cum soli Deo gloria debeatur, & prohibitum

esse

esse tales ſtatuas venerari, dixit textus *in l. 1.*
17 *C. de ſtatuis, & imaginibus*, non tamen licet alicui Imaginem Principis, vel eius ſtatuam fędare, ſeu deuaſtare ſub pęnis grauibus, *vt in l. non contrahitur, l. ſeq. & l. famoſi ff. ad l. Iul. maieſtatis. Farinac. quæſt. 20. nu. 70* non tamen offendens ſimiles Principum ſtatuas, ſeu Imagines, priuatur immunit. Eccl. poſt *Peregrin.*
18 dixit *Antoninus Diana in tract. 1. de Immunitate Eccleſiæ reſol. 7.* tales ergo ſtatuæ nedum
19 Principibus, ſed & Virtutum præmia tribui merentibus conueniunt, *l. fin. C. de ſtatuis, & imaginib.* eo quod ſecundum Virtutes, & merita hominum eis prouidendum eſt, *cap. Ius naturale 1. diſtinctione, idem Odofred. Alberic. in*
20 *ead. l. fin. Caſtr. l. 1. C. eod.* Et de ſtatua Serui Sulpitij, qui in legatione deceſſit, vt ſibi fuerit dicata ex cauſa meritorum à Populo Romano, poſt Ciceronem affirmat *Cagnol. in l. 2. ff. de origine Iuris nu. 527.* & de Imagine Demoſthenis affirmat *Budeus in Pandectis ex l. poſteriori, ff. eod.* Cæſar etiam Catoni Vticenſi ſtatuam extulit veluti Ciuitatis Romanæ immortalitati donato, & Catonis Priſci Cenſorini in Senatu directa fuit, vt Romani Ciues exemplar tam pij, & ſancti integritate vitæ, & morum perſpicerent, & in pręmium Horatio

tio Cocliti, qui Sublicio ponti veluti clypeo opem tulit contra Porſenam, ne Tarquinius ſuperbus eiectus in ſedem Regni priſtinam, vt putabat, mitteretur, ſtatua quoq; Bruti etiam inter Regum ſtatuas poſita, vtpotè libertatis vindicis manu ſtrictum gladium tenentis Antonius Muſa Auguſti Medicus ſtatuæ honore decoratus fuit, Domitianus au-
21 tem in Capitolio noluit ſibi poni, niſi argenteam, vel auream, illamq; Ditis columnam vocat Pyndarus, quia ſic mortuis erigi conſuebat.

Ideò digniſſimum profectò memorata eſt, quod antequam ſculpi, cõflariq; cepiſſent, & ebano, cedro, & cupreſſo componebantur,
22 Rhodijq; erãt ſtatuarij optimi, & perfectiſſimi *Lyſippus, Chates, Lidius, & idem Polycletus*; priuatis etiam dicabantur pro meritis, nam exempla virorum Illuſtrium nobiles animos ad imitandi ſtudium accendere poſſunt, id affirmat *Mantua in ſuo Gymnaſio ſcholaſtico in verbo Statua.* Multique alij perfectiſſimi Statuarij, cum mentione operum illuſtrium memorantur per *Thomam Garzonium in eius Platea vniuerſali, in tit. delli Scultori, ò Intagliatori in pietra, ò in legno, &c. propè finem.*

Et antiquitus in Eletris Inſulis, quæ in Adria-

driatico sinu extãt simulacra gemina adiacere, quorum alterum quidem staneũ, alterum
23 verò æneum extat vetustissimo more elaboratum, & Dedali operam fuisse affert *Aristot. in admirandis auditionibus in Commentariolo nu. 78.* & refert idem *Val. Max. in lib 2. cap. 5.* primam statuam auream in Vrbe, nec in vlla
24 parte Italiæ quemquã prius adspexisse, quam à Marc. Att. Calabrione Equestr. Patrit. poneretur in æde pietatis. Eam autem ędem Publio Cornelio, Lentulo, & Marco Bebio, Pamphilo Cos. ipse dedicauit Compos voti factus Rege Antiocho apud Thermophilas supera-
25 to, statuam deniq; denotare Monarchiam, ex *Daniele cap. 2.* dixit *Sot. de Iust. & Iure lib. 4. q. 4. art. 2. col. 4.* Verum enigmaturæ in statua,
26 quam somniauerat Nabuchdonosor omnia regna mundi per aduẽtum Redemptoris nostri fuerunt destructæ, *Old. cons. 96. Scaccia de re iud. glos. 1. quæst. 1. num. 96.* statuæ pariter non possunt remoueri, & si ex temporis diuturnitate, vel ex aliquo alio casu sit necesse eas remouere post refecta ædificia, debent de nouo collocari, *tex. est in l. si quando la 2. Cod.*
27 *de oper. publ.* ibique notant *Odofred. Alberic. Salicet. & alij* dicẽtes, id notandum esse pro Ecclesijs reparandis, ex hac etiam ratione, quia

sculpturæ repertæ in tabulis æneis, aut lapi-
28 dibus marmoreis, aut alijs, fidem faciunt, *Rebuf. in l. auri statuæ, C. de frumento Vrbis Constantinopolit. lib. 11. Franc. Marcus decis. 933. nu. 6.* dicens, amouentes puniẽdos esse, *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præs. 59. nu. 1.* dicẽs, si sint antiquæ facere plenã, & perfectã probationẽ, fuit ẽt pluries disputatũ, an statuæ affixæ Basibus structilibus sint ædium. Basis .n. dicitur sedes, & pedamentum cuicunq; rei sustinendæ, hæc .n. ex solido lapide, quãdoq; fiebat, quãdoq; structuli ex laterculis, & calce, si igitur statuæ marmoreis Basibus insiderent, ædiũ non sunt,
29 & ideo vendita, vel legata Domo auferri possunt, secus est si supra structules bases collocatæ essent, ita *Alciat. in l. statuæ, ff. de verb. signif. nu. 2. & seq.* referens tamen Pomponio contrarium visum fuisse, ex quo apponuntur magis causa ornatus, quam vt ædes perficiãtur, & cum fuerit disputatum in sacro Auditorio inter DD. de Rusticis, & D. Faustinam Capranicam, vtrum in venditione Domus eisdem de Rusticis venirent statuæ, maior pars votãtium tenuit, quod non cõprehenderentur statuæ, ex *tex. in l. pen. ff. de verb. signif* eo magis, quia poterant auferri sine destructione, vel deformatione domus, nec facit, quod

statuæ

ſtatuæ non poſſint vendi, ſed debeant remanere, & cadăt ſub prohibitione venditionis, *l.cætera, §.hoc Senat.conſultũ, ff.de leg.1.l.Senatus, ff. de contrahenda empt. l.nemini, C. de ædificijs priuatis*, quia dictæ leges debent intelligi,
31 quando ſtatuæ ſunt affixæ ad ornatum, & decorem Ciuitatis, & non poſſunt auferri ſine deformatione Domus, illæ verò ſtatuæ, quæ ſunt poſitæ ad voluptatem, non veniunt in venditione, iudicanturq; vt nuda cera, *Mohedan.deciſ.2.per tot.in tit.de empt.& vend. Petr.Vanderanus de priuil. cred. in prolegomæna cap.13.* ſubiungens, nec venire in obligatione bonorum, cum ſint extra commercium noſtrum, & ibi multas rationes adducit, &
32 ſi duæ ſtatuæ marmoreæ nominatim alicui, item & omne marmor ſit legatum, nulla ſtatua marmorea, præter duas, debetur, quia ſtatuas duas legando cognoſcitur, legantem non putaſſe in marmore *ſtatuas legare, l.hæres meus, §.duæ ſtatuæ, ff.de leg.2. Gemin.conſ.34. nu. 6. & conſ. 65.nu.4. poſt princ. Gratian. in diſcept.cap.811.nu.5.* hę igitur ſtatuæ, quæ ponuntur in Eccleſijs, cum pertineant ad ornamentum, & pulchritudinem Eccleſiæ, *l.2.C. de ſtat. & Imagin. Vbald. de Canonica Epiſcopali, & Parochiali cap.7.nu.63.* non poſſunt amo-

 ueri,

33 ueri, maximè, quia pertinent etiam ad hono-
rem illius, pro quo, seu per quẽ statua erecta
fuit, *l. fin. C. eod.* si ergo quis ponet aliquid in
34 Templo ad illud ornatum vti donatio vale-
bit etiam nemine recipiente, *Socin. in l. paulus nu. 2. C. de except. præscript. & præiudicijs, Tira-*
35 *quel. de priuil. piæ causæ priu. 115.* & si statua po-
sita sit causa ornandi municipij ponens, am-
plius non poterit eã remouere, sed exceptio-
ne doli mali repelletur, *Odofred. in ead. l. paulus, & per tex. & gloss. in l. is qui in puteum, §. quæsitum, ff. quod vi, aut clam;* & dixit ibi *Socin.* concedetur tamen ponenti interdictum,
quod vi, aut clam, vt *ex tex. in eodem §. quæsitum*, & ibi aduertunt etiam alij scribentes, li-
citumq; est cuiq; statuas sepulchro superim-
ponere, vel monumento à se extructo, *tex. est in l. statuas, C. de relig. & sumpt. fun.* vbi *Salicet. & ibi Castr.* dixit menti esse tenendum con-
tra Religiosos, qui sepulchra cõcesserunt in
aliquo loco Ecclesiæ, & quando statuæ rum-
37 perentur, datur actio iniuriarum contra rum-
pentem, *l. si statuæ ff. de iniur. & famosis libellis,*
& ibi notãt scribentes, tẽporibus tamen meis
vidi multos religiosos id non considerasse,
quãuis sit mali exẽpli, & in alterius perniciẽ.
38 Legimus etiã, quod statua salis, in quam con-
uersa

uersa fuit vxor Loth, semper integra manet, quamuis non paucæ partes ab ea detractæ fuerint, Deo miraculosè illam instaurante, vt *ex Gregorio Turonen. & Chartag.* dixit *Gratian. in discept. cap. 217. nu 54.* vbi hæc carmina leguntur: *Nec pluuia dilapsa situ, nec diruta ventis, Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam, Protinus ex se se suggesta vulnera com-*
39 *plet.* Fuit etiam Romanorũ mos ponendi statuas super sepulturis mortuorũ, representantes eorum Imagines, dummodo aliquem honorẽ meruissent super alios, *Porcach. de funer.*
40 *antiq. cap. 6. pag. 41.* & ex post Senatus cępit nere statuas super columnis, quæ in sepulcris, & monumentis solebant dirigi, & primò id licuit Galbæ, vt ex *Porcacho in d. lib. cap. 7. fol. 48.* quod ibi in responso negatur à *Cæsare Lucatello* dicente prius fuisse seruatum de Caio Meneuio, & Camillo Collega ob victoriam contra Latinos.

Fuerunt etiam super Equos positæ statuæ, adest .n. in Ciuitate Venetiarum illa Bartho-
41 lomęi Nobiliss. Ciuis Bergomen. & in Ciuitate Patauij illa Gattæ Melatæ, & aliæ reperiũtur pedestres in Ecclesijs, prout ipse Porcachus ibi adnotat, & in Ciuit. nostra Bonon. multæ apparent.

SVM-

SVMMARIVM.

DEstruens Statuam, vel Insignia Domini sui, amittit feudum, nu. 1.

Imò si Dominus sit magnus Princeps, amittit omnia bona, & incurrit pænam vitæ, imò confiscantur bona, vt nu. 2.

CAP. XIV.



Assallus si statuam, vel Insignia Domini depicta dolo interue-
1 niente concusserit, deleuerit, cōflauerit, vel aliter violauerit, feudo priuari potest, *Ludolph. Scrader. in tract. feudorum par. 9. cap. 4. nu. 23. per tex. in l. si statuæ, ff. de iniurijs, & fam. libell. & in l. qui statuas, ff. ad l. Iuliam Maiest. Placà in epitom. delict. lib. 1. cap. 6. nu. 17. Rosental. de feudis cap. 10. concl. 20. nu. 59. in fine*, & si Do-
2 minus esset Princeps magnus, esset magis periculosum ipsi Vassallo, nam Principis statuæ quandocūq; imponuntur, & depinguntur in aliquo castro, vel Ciuit. in signum subiectionis, quod scilicet Ciuitas illa, vel Castrum sit subiectū illi Principi, cuius sunt statuæ, vel Insignia, quo casu si quis illa deleuerit,

rit, vel subſtulerit, niſi alia legitima cauſa appareat, præſumitur deleuiſſe, vt tolleret ſubiectionem, & ſic ipſe tali caſu incurrit in crimen læſæ maieſtatis, *Præpoſitus, & alij in c. quæcumq; 30. diſtinct. Decian. in tract. crimin. c. 5. nu. 11.* & ſi apparent rebelles, nedum feudum perdũt, ſed omnia bona, & vitã, omniaq; bona confiſcantur, *l. quiſquis, C. ad l. Iuliam maieſtatis l. fin. ff. eodem, cap. quem 5. quæſt. 11.* & ipſo iure perdunt ea, quæ iuris Ciuilis sũt, *l. amiſſione, ff. de cap. diminut. & in extrauaganti, qui ſint rebelles, Decian. in d. tract. crim. lib. 7. c. 1. nu. 24. & ſeq.* & vltimo loco *Camillus de Laratha in Theatro feudali par. 10. dilucidat. 71. cau. 63.* vbi legũtur centum duodecim cauſæ amiſſionis feudi *in tit. ex quibus cauſis feuda amittuntur.*

DE EPITAPHIIS.

SVMMARIVM.

Epitaphium conſtat tribus, vel genere, vel virtute, vel eruditione, nu. 1.

Recitatur Epitaphium Laurẽtij Valle, nu. 2.

Epitaphium habet plures ſignificationes, quæ memorantur, nu. 3.

Tria

Tria Epitaphiorum genera reperiuntur, alia ad honorem mortuorum, quorum plura leguntur, num. 4.

Alia ponuntur ad iocum, & irrisionem, nu. 6.

Alia ad infamiam, nu. 5.

Titulus Magnifici competit Regi, etiam ex ethimologia vocabuli, nu. 6.

Et hodie quilibet Ciuis pratēdit titulum Illustrissimi, d. nu. 6.

Epitaphium Sardanapalis damnatur, nu. 8.

Epitaphia in honorem Defunctorum in Ecclesijs possunt fieri, nu. 9.

Epitaphia, & memoriæ antiquæ probant, nu. 10.

Secus si sint factæ de recenti, nu. 11.

Opinio Platonis circa Epitaphia, nu. 12.

Licurgus iussit nemini fieri Epitaphium, nisi acerrimè pugnans pro Patria mortuus esset, nu. 13.

Epitaphia habuerunt originem à Poetis, nu. 14.

CAP. XV.

1 

Pitaphium constat tribus, vel genere, vel virtute, vel eruditione, *Henricus Decimator Giffhormensis in Thesauro linguarum, in verbo Epitaphium*, dicens, quod Epitaphiū etiam, præter eruditionem, ele-

elegantiam, & alia interdum habet, propter quæ homines arridere possunt, veluti illud est Laurentij Valle:

2 *Nunc postquam manes defunctus Valla petiuit*
Pluto non audet verba latina loqui,
Iupiter hunc cæli dignatus parte fuisset
Censorem linguæ, sed timet esse suæ.

3 Epitaphium diuersimodè definitur, alij dixerunt sic appellari, quando in funere oratur, vt ex *Volater.* affirmat *Lauor. de prisco, & recenti more funerandi tit. 2. cap. 3. nu. 164. & cap. 18. nu. 2.* Alij dixerũt esse super scriptionem monumentorum, *Alberic. in suo Dictionario in verbo Epitaphium.* Alij dixerunt tale verbum desumi à *Taphos*, idest tumulum, vel sepulchrum, *Ioannes de Ianua* Ordinis Prędicatorũ *in littera E.* Alij vocarunt Inscriptionem, alij Eulogium, quod deriuatur ab *Eu*, quod est bonum, & *Logos*, quod est sermo, idem *Alberic. in d. Dictionario in verbo Eulogium*, referẽs *Petrum de Sansonis*, affirmantem Elogia dici boni sermones; alij.n.dixerunt vocari ab *Eu*, idest flebiles; & *Logos*, idest sermo, ita *Goffred.* relat. à d. *Alberico*, significans Eulogiũ esse notam doloris. Alij dixerũt esse scripturam, siue titulum in lapidibus sepulchrorum sculptum, *Io. Iac. de Lignano in vocabulario Iu-*

ris tam Ciuilis, quam Canonici, in verbo Epitaphium. Mihi tamen videtur dicendum tria Epitaphiorum genera reperiri, alia ad ho-
4 norem mortuorum, prout vidimus multoties Bonon. seruatum, & id affirmant *Ghirardacius in sua Bonon. Historia* de anno 1106. fol. 59. in honorem Benedicti de Arengheria, de anno 1161. fol. 84. in honorem Gratiani Decretorum Compilatoris, de anno 1289. fol. 282. in honorem Egidij Foscherarij Decretorũ Doctoris, & alibi, nempè de anno 1301. fol. 414. & de anno 1314. fol. 579. & in libro 2. dictæ Historiæ manuscripto, per me diligenter etiam ad alium effectum viso, extat etiam *liber Epitaphiorum Oratoris Equitis Casei* Felsinei, de quibus *Alidosius* pro maiori parte fecit mẽtionem in descriptione omnium Ciuitatis nostræ Iuris Vtriusq; Doctorũ, & in Ecclesijs nostris multa hodie discernũtur. Alia etiam Epitaphia similia reperiũtur in Ecclesijs per totam Italiam, in eis .n. exponuntur virtutes mortui munera præclarè exercita, simul cum exuuijs Hostium, & Imaginibus exercituum fractorum, vrbium debellatarum, & similibus, de his habetur mentio per *Gulielmum Goutum de religione antiqua Romanorum,* prout de Epitaphio Cæsa-

ris

ris Gauij fol. 145. de Epitaphio Flauiæ Maniliæ Veſtalij fol. 213. de Epitaphio M. Pompei fol. 230. de Epitaphio Auguſti fol. 239. & de Epitaphio Publij Marij habetur penes *Lauor. tit. 2. cap. 18. nu. 3.* vbi plura recitantur, pluraq; alia legũtur penes *Porcachum de Caſtilione de funeralibus antiquis fol. 14. vſq; ad 19. fol. 22. & 39. & 40.* vbi legitur illud Neronis Imper. fol. 54. & ſeq. & penes *Barth. Burghelatũ* in libro intitulato de Epitaphiorum Dialogis ſeptem, vbi infinita leguntur, inter quæ Franc. Petrarcę, Dantis, & aliorum plurium, legitur etiam Epitaphium Generoſi Rugerij Regis Siciliæ his verbis. *Hic iacet Mag. Rex Rugerius*, de quo mentio-
5 nem fecit *Albergatus in ſuis moralib. lib. 4. in tit. de Magnificentia cap. 11. in fine*, reprehendens modernum abuſum, ignorantiam, ſeu potius arrogãtiam, multorum dicto titulo Magnifici dedignãtium, & hodie videmus eſſe cõmunem viliſſimus Artificibus, & bubſequis: Magnificus. n. dicitur, quaſi magna pertractans, & Magnificentia, quaſi magna faciens, & idcircò hoc verbum, Magnificentia, etiam Regi ex ethimologia vocabuli conuenit, *Abb. in c. nouit. ext. de off. legati in princ.* de hoc. n. vlterius non progredior, ne offendam plures Ci-

ues, qui, vt dixi, talem Magnifici titulum vilipendunt, in tantum, vt quilibet prętendat
6 se Illustrissimum vocari, legitur etiam Epiphium Federici Secundi his verbis:

Si probitas virtutum gloria sensus,
Nobilitas orti possint obsistere morti,
Non foret extinctus Federicus, qui iacet intus.

Sic refert *Dec. in auth. cassa, & irrita, C. de sacros. Eccl.* Alia etiam Epitaphia ponuntur ad iocum, seu ad risum promouendum, prout quando Stabertus homo Auarissimus Testamento iussit hæredem scribere in suo Monumento, quantũ quisq; à se relictũ accepisset, apud *Horat. Satyra 2.* Iocosa etiã dici possunt illa, quæ Brutis, & Animalibus posita fuere, de quibus per *Lauor. d. cap. 18. nu. 5.* vbi de
7 tertio genere ad Infamiam latè discurrit.
8 Et de Epitaphio Sardanapali mentionem fecit *Theodoricus Cyrensis Episcopus de Vita actiua lib. 12. his verbis.*

Hæc habeo, quæ edi quæque exaturata libido
hausit,
Multa quidem, & felicia cuncta reliqui,
Nam Cinis ego sum magna, qui celsa tenebam
Regni Nini.

Subiunxit tamen idem *Theodoricus* egregiè mentiti sunt, qui sic inscripserunt, neq; enim,

.n. qui vita defunctus est habet amplius, quæ comedit olim, ac bibit, sed ea omnia in putrem corruptionem abierunt, habet autem solum iniquitatis suæ fætorem, qui animam sceletum sibi consciam, eaq; in memoriæ sinu perpetuò retinentem continuò dolore discruciat.

9 Et epitaphia in honorem defunctorum posse in Ecclesijs inscribi, & cōmendandum esse, dixit *Laurent. Bellus in repetitione c. nullus mortuus 13. q. 2. n. 1.* dicens, Ecclesias, quę per

10 se sunt pulchræ, ex eis fiūt pulchriores. Talia .n. epitaphia si sint antiqua, probant *glos. in c. cum causam, extra de probationibus* ibi, *si reperiatur scriptura in aliqua columna, vel lapide ei statur, Asin. in l. vel quæ pater, § si adhuc nu 37. ff de relig. & sumpt. fun. Cagnol. in l. 1. nu. 177. ff. si certum petat. Medices, qui plures textus alle-*

11 *gat in tract. de sepulturis q. 16. nu. 28.* id tamen non crederem habere locum in epitaphijs, quæ sunt facta de recēti, quia in eis cessat ea præsumptio veritatis ex longa, & approbata retentione, & ego vidi Epitaphia de recenti affixa fuisse, etiam de mandato Iudicis, in totum sublata, eo quod exprimebant laudes defunctorum, & familiarū à veritate alienas, quo casu militant rationes, ibi per

Ca-

Cagnolum nu. 174. & seq. & Medicem d nu. 28. facientes differentiã inter antiqua, & noua.

12 Et secundum *Platonis* opinionem, titulus, seu epitaphium non deberet excedere quattuor versus ellegos, ad hoc, vt itinerantes in trãseundo possent citò illud legere, sic ẽt aliquando obseruatum fuisse asserit, idẽ *Porcacbus de funer. antiq. in cap. 7.* subiungens ex post Latinos, Græcos, & Barbaros, ordinem transgressos esse pag. 54. refertq; Ligurgum in legibus decretis Spartanis iussisse nemini
13 fieri epitaphium si pugnãs acerrimè pro Patria non obijsset, seu aliquod aliud in bello Patriæ beneficium fecisset.

14 Epitaphia enim ortum habuerunt à Poetis, vt diffusissimè scripsit *Thomas Garzonius in Platea vniuersali*, vbi omnia epitaphiorum genera describit ad satietatem *in rub. de Poeti in generale, & de' formatori di epitafij, e pasquinate, in particolare vers. quindi veggiamo*, ad finem.



DE

DE MONVMENTIS.

SVMMARIVM.

Monumentum à memoria nomen accepit, eo quod mentem moneat, nu. 1.
Romani, ea quæ ad pompam funebrem spectabant, asseruabant in templo Veneris, eo quod fingebatur præesse morientibus, nu. 2.
Memoria mortis est salubris, nu. 3.
Monumentum habet plures significationes, nu. 4.
Ex monumentis famæ æternitas cõseruatur, nu. 5.
Monumenta sumptuosa non essent faciẽda, nu. 6.
Monumentum propriè dicitur antequam corpus humanum sepeliatur, nu. 7.
Monumenta dicuntur fines, & termini diuidentes duo prædia vicina, nu. 8.
Monumentum etiam dicitur munimentum, nu. 9.
Munimentum latam habet significationem, & comprehendit confessiones, & omnia alia, quibus causa munitur, nu. 10.
Item & priuilegia, Instrumenta, & probationes nu. 11.
Monumenta probant, nu. 12.
Maximè si sint antiqua, nu. 13.
Nec possunt per historiographos oppugnari, uu. 14.
Monumentum non potest legari tanquã res sacra, nu. 15.

Nec

Nec possunt obligari, nu. 16.

Si quis promisit facere monumentum, tenetur illud construere, nu. 17.

Testator si iusserit fieri monumentum arbitrio Titij sub aliqua pœna, Titio non arbitrante, tamen hæres tenebitur, nu. 18.

Quomodo autem violentur monumenta, nu. 19

CAP. XVI.



1 Onumẽtum à Memoria nomen accepit, eo quod mentem moneat, ita post *Diuum Augustinum*,
2 *Ioannes de Turrecremata in cap. cum grauia 13. quæst. 2. nu. 4.* & idcircò *Plutarchus in problematibus dixit Romanos ea, quæ ad pompam funebrem spectant, in Veneris templo voluisse asseruari*, vt scilicet eo ipso humanæ fragilitatis admoneremur certo scientes exitum ab ortu nõ procul abesse, cum eadem Dea falsa morientibus tunc fingeretur præesse, pariterque vitam ingredientibus. Mortis ergò recordatio quantum salubritatis efferat, nemo est, qui nesciat ea est potissima, cuius ope aduersus prauas cogitationes, quasi Vulcanijs Armis muniti sumus, atque armati, Qui igitur considerat

qua-

3 qualis erit in morte, semper pauidus erit in operatione, atq; in oculis sui conditoris viuit, nihil quod transeat appetit, cunctis vitæ præsentis desiderijs contradicit, & idcircò *Salamon* scripsit, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, & *Seneca, nihil æquè tibi profici, & ad temperamentum omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti, quicquid facies respice ad mortem*, sic etiam refert *Laurentius Bellus in repetitione c. nullus mortuus 13. q. 2. nu. 5. & nu. 47.* sic loquitur: *Clamat ad te puluis de sepulchro, ò miser, vt quid tãtum pro sæculi cupiditatibus discurris, aut quid superbiæ, & luxuriæ infelicia solatia admittis, vt quid te ad seruiendum crudelissimis Dominis, idest vitijs, & criminibus tradis, attende me, & cognosce te, considera mea, vt vel sic tibi horreat, vel luxuria, vel auaritia tua.*

4 Monumẽtum tamen habet plures significationes, primò dicitur quicquid mortui causa est ædificatum, *l. monumentum, ff. de relig. & sumpt. funerum*, & dicitur Grẹcè *κενοτάφιον*.

Ex monumentis igitur insignita sunt sepulchra mortuorum, his famæ æternitas

5 conseruatur, his virtus clarorum virorum, inter emortuos illorum cineres reuiuiscunt,

 his

his gentibus nobilitas plerunq; probatur, *Lauor. de prisco, & recenti funerandi more tit. 2. cap. 6. nu. 5.* & talem auitam, & proauitam recordationem cõmendat *Tiraquel. de vtroq; retract. in præfat. nu. 47. & 48.* Dicens cum *Apiano Alexandrino lib. 1.* Impium esse sinere monumenta maiorũ ad alios transire, quod & affirmat *Gutierez de tutelis, & Curis in 2. parte c. 5. nu. 80.* Dixit tamen *Diuus Ba-*
6 *silius in homilia ad eos habita, qui studio &c.* sumptuosa monumenta non esse facienda.

7 Monumẽtum propriè dicitur antequam corpus humanum ibi sepeliatur; & tunc nõ est locus sacer, sed prophanus, & sic differt à sepulchro, *dicta l. monumentum, ff. de relig. & sumpt. funerum, & dixi c. 3. nu. 5.*

8 Monumenta etiam dicuntur fines, & termini diuidentes duo prædia vicina, *Castr. in l. si sepulchrum, C. eod.* Monumenti etiam definitio habetur penes *Rebuf. in l. cum in testamento, vers. monumentum est, ff. de verb. significatione,* & ex pluribus textibus notat *Vigel. in lib. 26. ff ff. in tit. de loco religioso, in verbo de monumento definitio.*

9 Monumentum etiam dicitur munimentum, & latam habet significationem, *l. funeris sumptus, §. munimentum, ff. de relig. &*

sum-

10 *sumpt. funer.* Quod munimentum comprehendit etiam confessiones, *glos. in c. coram, de in integrum rest. c. quoniam contra de probationibus*, omniaque alia continet, quibus munitur causa, *Archid. in c. quamuis circa fin. de elect. in 6. & in c. 1. de appel. eod. lib. 6. Rebuff. in l. notionem §. Instrumentorum in fine, ff. de verb. si-*
11 *gnificat.* & compræhendere priuilegia, Instrumẽta, & probationes dixit *glos. in c. si fortè de elect. in 6.* & idcircò siue dicatur monumentum, siue munimentum idem erit, ex eis enim monetur, & informatur Iudex quid agere habeat, & appellari etiam documentũ demonstrat, *glos. in d. c. si fortè de elect. in 6.*
12 Et talia monumenta probare *dixit Flor. de S. Petro in l. in finalibus, ff. fin. regund. nu. 4.* &
13 si sint antiqua eis standũ est, *Bero. cons. 144. n. 36. lib. 3. Bolognet. cons. 1. nu. 58.* dicens monumenta veritatem demonstrare nec posse
14 per historiographos oppugnari, *Pancirol. cons. 145. nu. 1.* subiungẽs præferri probatio-
15 nibus, quæ fiunt per testes, nec posse legari tamquam sacra, censuit *Ias. in l. cum responso,*
16 *C. de leg.* minusq; posse obligari dixit *Bal. in l. si monumento, C. quæ res pig. oblig. poss.* & facere Monumentũ, Oratorium, & Xenodochium religionem respicere, dixit *Rimin. Iun. cons.*

627. nu. 22. lib. 6. & si quis iurauerit facere
17 monumentum, construere debet illud cum effectu, nam talis promissio habet in se tacitam conditionem, vt construere teneatur, & hoc ex priuilegio Iuramenti, quia omne verum, & non falsum iurari debet *Decis. 58.*
18 *parte 6. diuers. nu. 9.* Et dato, quod Testator iusserit fieri monumẽtum arbitrio Titij sub aliqua pęna, illo non arbitrante, & si hæres non incidat in pœnam, nihilominus monumentum facere tenetur arbitrio boni viri, *Ruin. in l. multa, ff. de condit. & demonst. nu. 2.*
19 violariq; monumentum, demolitione, habitatione dolosa, illatione illegitima, & alienatione, in tãtum, vt si quis marmora etiam fabricandi gratiâ abstulerit, terram euerterit, ornamenta, triclinijs, aut porticibus intulerit, dicatur violare monumentum, si nõ agatur de hostium sepulchris, aduertit *Lauor. in d. tract. de recenti funer. more tit. 2. c. 7. num 17.*

Finem denique impono huic Tractatui, submittens omnia, quæ dixi correctioni, & determinationi S. Matris Ecclesiæ, à cuius sacratissimo gremio nũquam discedere intendo, ad laudem, & gloriam Sanctiss. & Indiuiduæ Trinitatis, Gloriosissimæq; semper

Vir-

Virginis, eiusq; Sponsi, & Genitorum, Sanctique Io. Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri, Iacobi, & Ioannis, Diuiq; Floriani Martyris primi huius Ciuitatis Bononiæ Patriæ meę Protectoris, totiusq; Cœlestis Curiæ.

Amen.



INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

B

Ca-

C

Ci-

Et

Sed

L

Me-

mu-

N

O

P

Po-

Scul-

quod

Ele-

T

Ven-

V

FINIS.